

Kaiserliches Lyceum zu Strassburg.

PROGRAMM,

womit zu der

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNG

am 11. August

ehrerbietigst einladet

Dr. G. BENGUEREL,

Director.

Inhalt: Eine Abhandlung über Valerius Maximus. Vom Oberl. Dr. Blaum.
Schulnachrichten. Vom Director.

1876. Programm-Nr. 408.

Strassburg,
Buchdruckerei R. Schultz und Comp. (Berger-Levrault's Nachfolger).
1876.



QUAESTIONUM VALERIANARUM
SPECIMEN

SCRIPSIT

Dr. RUDOLF BLAUM.

Beilage zum Programm des Kaiserl. Lyceums zu Strassburg i. E.

ARGENTORATI, TYPIS SCHULTZIIS.

MDCCCLXXVI.



PARS I.

DE VALERII MAXIMI DICENDI GENERE.

Quam sit necessarium iis qui veterum scriptorum libris critice tractandis operam dant bene novisse cuiusque aevi dicendi genus, cum nemo non videt, tum difficillimum esse in unaquaque re recte diiudicare quae scriptoris ingenio apta sint, quae non sint, omnes facile concedent. Qua in re quomodo vel doctissimi sermonisque Latini peritissimi viri interdum a recta via aberraverint, licet uno mihi demonstrare exemplo, in quod equidem, cum *Valerii Maximi* verba accuratius inspicerem, incidi. *Halmius* enim, vir doctissimus, et de *Valerii Maximi* exemplorum emendatione perquam meritus, ubi illa mendosa l. III, 2, 7: «defuncti enim honoribus apertis ianuis in curulibus sellis cum insignibus magistratuum, quos gesserant.... consederunt, ut et ipsi in occasu suo splendorem et ornamenta praeteritae vitae retinerent et plebi ad fortius sustinendos casus suos.....» emendare conatur cum alia tum haec dicit: «fortius aliquid sustinere, neque bona est locutio nec a melioribus libris prodita.» At fugit virum doctum *Valerii* ipsius l. VII, 5 in.: «Campi quoque repraesentata condicio ambitiosam ingredientis viam ad fortius sustinendos parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit,.....» ubi nihil eadem locutio offendit.

Qua de causa mihi per aliquantum temporis *Valerii* libris emendandis studium navanti non inutile videbatur ante omnia hoc spectare, ut qui esset proprius illius scriptoris dicendi usus colligerem atque componerem. Quo in opere conficiendo cum occupatus essem, *Draegeri* liber qui inscribitur: *Historische Syntax der lateinischen Sprache,* in lucem editus est. Quo in libro cum *Valerii* quoque dicendi generis ratio sit habita, iam verebar, ne inutilis fuisset opera quam in eandem rem atque vir ille doctissimus contuleram. Diligentius vero perlegenti *Draegeri* librum, mox mihi persuasi, hoc non ita esse. Nam ut taceam de eis quae quamvis multa (quamquam in tam difficili labore quis est quem non multa fugerint!) *Draegerum* fugerunt, virum doctum non paucis in locis parum adhibita cura versatum esse inveni. Inprimis hoc mihi errasse videtur ille vir, quod exempla sua ex antiquiore Valerii editione (ni fallor e *Torreniana*) transcripsit, quae e *Kempfiana* vel *Halmiana* sumere debebat. Quo factum est, ut decies spuria verba laudans false de *Valerii* dicendi usu iudicaret: p. 59, lin. 10 sqq., duo laudavit exempla II, 7 ext. 2 et VII, 7, 1, quae cum emendatione indigeant, non ad rem pertinent (vide infra ADN. CRITICAS, p. 46).—: p. 90 lin. 12 mire ex VII 8, 2 transcripsit: *vinginti nummum* ubi libri tantum non

omnes exhibent: XX *nummum.* — p. 189 lin. 29: III 4, 2 ex ed. *Kappiana,* ni fallor, sumsit. — p. 231 lin. 3 contendit *Valerium Maximum* non usum esse infinitivo perfecto, qui «ἀοριστικὸς» vocatur, cuius non pauca exempla adnotavi, v. infra pag. 14, 3. — p. 238 lin. 16: VI 6 ext. 2 (haec litera deest), in nulla editione invenio «deposu*erit*», ubique indicativus pendet a «priusquam». — p. 238 lin. 27: «*cum interim*» nusquam cum Perf. coniunctivo coniungitur apud *Valerium*, quem boni libri semel tantum exhibent II, 9, 1: «*cum interim* consumpti *sint*», quod optime iam *Kempfius* emendavit, qui indicativum «*sunt*» restituit; quattuor praeterea locos adnotavi, ubi indicativum perfecti inveni: III 4, 5; IV 4, 1; VIII 1 abs. 3, VII 8, 6. — p. 328 lin. 22: V 1 ext. 3: *Kempfius* iam ex *Paridis* epitome accusativum pendentem a verbo deficiendi restituit, qui etiam VII 2 ext. 1 legitur: tempus deficiet domestica narran*tem.* — p. 352 lin. 14: vereor ne nugas indagare videar, sed cum *Draegero* eas indagaverim, qui *sexies Valerium* usum esse «praestare aliquem» dicit: *septem* equidem exempla adnotavi, accedit ad sex illa IV 7, ext. 2. p. 406 lin. 26: alterum exemplum invenire non possum (I 7, 8), alterum iam a *Guyeto* ita emendatum est: concitatum fug*a* classem III 2, 10. — p. 418 lin. 37: III 2, 10 non singularis adi. neutrius ex *Torrenii* emendatione legendus est, sed pluralis «lubricis», quem libri exhibent.

Neque desunt loci vitiose citati (p. 83 lin. 3 inf. V 3 ext. 2; p. 397 lin. 14 inf.: VIII 14 ext. 3), ita ut complures me in libris non repperisse fatear: p. 170 lin. 9 inf.: V 3 ext. 3 non inveni: *abunde esse,* sed abunde *ducere,* p. 398 lin. 6 inf. III 7, 8 ??, p. 513 lin. 9 inf. V 4, 1 ??, p. 599 lin. 8 sup. IX 11 ext. 2 ??

Accedit quod nondum omnes Latinae syntaxeos partes *Draegerus* tractavit, ut in altera huius libelli parte res quas nemo hucusque in examen vocavit, primus composuisse mihi videar.

Restat ut de rei ipsius instituendae ratione pauca afferam.

Vix me quisquam vituperarit, quod viros doctissimos qui adhuc syntaxi Latinae operam dederunt: *Kühnast: Die Hauptpunkte der Livianischen Syntax; Draeger: Ueber Syntax und Stil des Tacitus; Hist. Syntax der lateinischen Sprache* — in universum secutus singulis deinceps capitibus de singulis sermonis partibus exposui. Tantum vero abest, ut quidquid praebeat *Valerii* dicendi usus composuerim atque collegerim, ut has praecipue investigandas mihi proposuerim res, in quibus *Valerius* a *Ciceronis* vel *Ciceronianae* aetatis consuetudine ita abhorret, ut aut cum *Livio* faciat aut contra *Livium* et iam plane argenteae quae vocatur aetatis usum sequatur. Dixi, me *praecipue* illa investigasse, quia non omnino vitari potuit, quin multa afferrentur ex *Valerii* libris, quibus similia iam apud *Ciceronem* aut apud *Livium* leguntur. Saepe etiam conveniebat, qua in re inter se congruerent *Valerius, Cicero, Livius,* demonstrare, quo magis eluceret, qua in re dissentirent.

Cum iam opus meum perfecissem, dissertatio, quam scripsit *R. Seelisch* «*de casuum obliquorum apud Valerium usu*» Münster 1872, mihi in manus incidit, unde tamen nihil omnino in usum meum vocare mihi licuit, cum et omnia, quae mihi necessaria videbantur, iam ipse adnotassem, neque eodem consilio illum virum rem tractasse viderem, atque ego mihi proposueram.

I. DE SINGULIS SERMONIS PARTIBUS.

De substantivis.

1. Pluralis concretorum pro singulari:
   I 1, ext. 1: violentas regis Pyrrhi *sordes*.
   I 7, 2 — 7, 4 — 8, 2: in *terris*.
   V 3, 3 *altaribus*.

2. Pluralis abstractorum:
   I 1, 1 *auctoritates*, *praedictiones*, *depulsiones*.
   I 6, 9 *voluntates* deorum. — 11 *laniatibus*. — *iacturae*. — 12 *terroribus*.
   II 1, 7 *necessitudines*.
   IX 1, 5 *adventus* suos. — 4, 1 *auctoritatibus* suis. — 12, 8 et V 3, 2 *fata*. — ext. 1 *mortes* externae.

3. Abstractum pro concreto:
   I exord. mea *parvitas*.
   I 1, 9 *imperia* = imperatores (cf. Caes. B. Gall. 3, 32).
   (II 3, 3 Campanae *perfidiae* = Campaniae perfidae. — 6, 14 uxoria *pietas* = uxor pia.)
   III 7, 5 *odiis* = osoribus.
   (II 7, 5 censorium supercilium adversus *fraternam caritatem* destringere.)
   III 1, 2 Catonis *pueritiae* = Catoni puero.
   V 6, 2 magna *decora* = homines excellentes.
   VI 8, 4 piae *victoriae* = pio victori.
   VIII 6, 2 *servituti* = servis. — 15, 7 perfectissima *virtus* = vir perfectissimae virtutis.
   IX 3, 6 summo *imperio* = magistratibus. — 8, 2 *maiestate* sua occultata = *corpore suo*. — 12 et 2 *origo* et *principium fortioris tragoediae* = Aeschylus.

4. Singularis est substantivorum quorundam usus, quem dixerim exquisitiorem:
   sanguis = populus I 1 ext. 2 Punico s. — I 7 ext. 1 Romano *s.* — 7 ext. 7 Graio s. II 7, 12 Romano s. II 9, 8. III 2, 20 *s.* nostro.
   persona = homo, frequentissime, sive res, sive factum opponitur, vel in plurali numero invenitur:
   II 1, 8 necessarias *p.* — 6, 5 sive rem sive *personam* intueri velis. II 8, 2, III 2, ext. 7 (pluralis), IV 1, 10 in tua *p.*, IV 1, 14 in sua *p.* — VI 2, 5 huic facto *persona* admirationem ademit. — VI 2, 8 — 9 ext. 7 nulla in *p.* — VIII 7, 7 — IX 3 ext. 1 in claris *p.* — IX 14, 1 in *p.* mediocribus.

vir = maritus: II 1, 4 — II 1, 6 — III 2, 15 — VI 3, 5 et 8 — VIII 1 amb. 2 — IX 1, 8 et 2, 4.

patres conscripti = senatores (quae vox perquam rara est) in omnibus casibus obliquis ponitur, quae formula nisi in allocutione neque apud Ciceronem neque apud Livium invenitur pro vocativo:

nominativus: III 2, 17 et ext. 1 — IV 1, 4 — VI 6, 3 et 1, 4.

genetivus: II 2, 1 et 8, 4 — III 7, 1 — IV 3, 9 et 4, 10 — V 1, 1 et 9, 3 — VI 2, 1 — VII 6, 4 — VIII 15, 1.

dativus: II 7, 15 — V 2, 1 —

accusativus: IV 1, 6 —, pendens a praepositione *ante:* IV 5, 1 — *inter:* VI 4, 1 et 2 — *apud:* VIII 5, 3.

ablativus: I 5, 1 — pendens a praepositione *ex:* II 1, 9 — VIII 13, 4 — *a:* I 1 ext. 1 — III 8, 1 — V 1, 2 et 8, 3.

patres = senatores, semel II 2, 1.

potitor = potens, non in usu erat ante Valerium, qui hoc s. utitur III 2, 20.

puer: pro adiectivo: *pueri* servi VIII 1, 12. — *puerum* histrionem I 1, 16.

effectus: inde a Livio: (I 4, 1 Paris: e. suae profectionis) V 4, 1 sine *e.* VIII 7 ext. 2 pluralis numerus.

debitum = officium II 9, 1.

iactus vocis = lusus verborum I 5, 8 et 9 (est v. Valeriana).

adiutorium = auxilium I 5 ext. 2 — II 8, 1 idem.

acervus = numerus I 8, 1.

gradus = temporis momentum III 6, 1.

intercessus: V 4, 2 — *quiritatus* VI 2, 8.

vafritia = calliditas VII 3 exord. — *vaframentum* VII 3 ext. 2 (non ante Valerium in usu erant).

verecundia = dedecus IX 13, 2 — II 5, 5 et 7, 7.

5. Substantiva, quae verborum in participio positorum locum obtinent, frequentissima sunt:
I 1, 14 *ad custodiam religionis* = ad religionem custodiendam. — ext. 3 *ad vindictam sui.*
I 5, 5 *custodiae causa.* IV 6, 2 *interventu domesticorum.*

6. Substantiva pro infinitivo verbi:
II 6, 16 quo parvulorum *amissionem* aequiore animo sustinerent.
III 3 ext. 4 *amputationem linguae* minitante.

De adiectivis.

1. *Comparativus* multorum adiectivorum et participiorum ante Valerium (aut ante Livium) non erat in usu; haec sunt quae adnotavi, additis adverbiis:

abiectus III 5, 4.
abscisus VI 5 ext. 4.
adtentus VIII 7 ext. 5.
augustus I 8, 8 (Liv.).
ardens V 7, 3.
auctus III 2 ext. 5.
concitatus IV 6 —.
conveniens III 3, 1.
cultus II 6, 8.
curiosus IV 7 ext. 1.
decens III 7, 11 (Hor.).
effeminatus IX 1 ext. 7.
efficax IV 1, 5 (Liv.).
excitatus IV 7 ext. 1.
excusabilis VIII 11, 4.
expressus — 7 ext. 5.
fidens VI 2, 2.
impensus IV 3 ext. 1.
imperatus III 8 ext. 2.
inconsideratus I 5, 9.
inexsuperabilis III 2, 23.
infractus V 10 ext. praef.
indulgens I 7 ext. 3.
invisus III 8 ext. 1 et IV 7, 4.
lentiginosus I 7 ext. 6.
mutabilis VI 9, 14.
praefractus VI 5 ext. 4.
sceleratus IX 11 ext. 2.
speciosus IV 2, 4.
solutus VI 9, 2.
sordidus I 1, 10.
tener III 7 ext. 5.
valens II 7, 15.

2. *Superlativus* horum adiectivorum et participiorum formatus est (addita hic quoque adverbia sunt):

abiectus IX 2, 2 et III 7 ext. 5.
acceptus IV 4, 1 (I 2, 1).
ardens I 8, 8.
circumspectus I 1, 20.
exactus I 1, 8, VIII 7 ext. 2.
fulgens I 1, 10, III 5, 1 (Vell.).
imperiosus II 7, 7.
insolens II 7, 1 et III 2, 21.
instructus II 6, 8.
invisus V 2 ext. 2.
mansuetus II 7, 11.
perseverans VI 6, 1.
ponderosus III 2, —.
profusus — 17.
sacratus I 7, 1.
speciosus I 1, 17.

3. Adiectiva substantivorum vim habent (addita sunt participia):

a) adi. masculini generis:

superiores: praef. et II 1, 10. — *maiores* I 1, 1 (sine «nostri»).
antiqui I 1, 1 et II 5, 5. — *caelestes* I 1, 15.
domestici I 6, 1 et II 10, 2. — *docti* II 6, 12.
necessarii II 6, 14 — *parvuli* II 6, 16 — *miseri* IX 2, 1.
reus IX 1, 7 — *veneratus* VIII 15 ext. 1.

b) adi. neutrius generis:

1. singulari numero:
coeptum: praef. — sine magno *bono* I 8, 2.
omne quidquid obvium fuerat I 7 ext. 1.

profundo cladium VI 9 ext. 7.
profundum Tiberis IV 7, 2.
profundum debitae execrationis IX 11 ext. 4.
in *profundum* iniuriarum — 1 ext. 2.
in *profundum* puteorum — 6 ext. 2.
solidum praestare VI 9, 12.
ad *solidum* foderent II 4, 5.

2. plurali numero:
abdita delubri I 6, 12.
culta Olympi I 7 ext. 4.
lubricis pelagi III 2, 10.
in vita *praecipua* VIII 15, 1.
magna spirantem III 7, 1.
mira quaedam *visa* I 8 ext. 1.

4. Adiectiva neutra sing. n. cum praepositionibus coniuncta adverbiorum loco ponuntur:
ad ultimum = postremo I 8, ext. 19 — II 6, 8 — III 2, 23 et ext. 7 — III 5, 4 — VII 6 ext. 2.
ex facili = facile IV 8, 1 — VI 8, 6 — VII 2 ext. 1 — VIII 7 ext. 4.
in contrarium: dare consilium I 1, 14.
adde: *certum* = certo: *certum* scio II 7, 6.

5. Adiectiva pro adverbiis:
maesti et taciti milites ad principia convenerunt I 6, 11: pietas quam *infatigabilem* praestitit III 8, 2. quorum *praecipua* opera usus erat IV 3, 20. vitam, quam *felicem* agimus II praef.. ad quem *priorem* faces transferri iussit IV 1, 1.

6. Adiectiva e quibus pendet infinitivus:
contentus: non *c.* comunicasse IV 2, 3. — non *c.* afficere VI 3, 2.
Infinitivus locum gerundii obtinet aut «supini»:
bene *mereri paratus* VI 5, 1.
arduum dinosci VI 8, 5 — regi *difficilis*. VII 3, 6 (*ardua* imitatu IV 6 praef.) cognosci *utilia* IV 6 — (at: auditu novum V 2, 2) — (puniri *dignos* II 9, 1 = qui punirentur d.).

7. Positivus pro superlativo, cui praecedit particula *quam:*
quam potuit *clara* voce III 2 ext. 1.
adv.: *quam* potuit *constanter* IV 1, 5.
quam potuit *accurata* excusatione V 1, 1.
quam similis erat IX 14, 3.
(conf. Liv. I 25: eo maiore cum gaudio, quo *prope* metum res fuerat.)

8. Singulorum adiectivorum usus:

cetera: nom. sing. f. g.: praef.; singularis num. perrarus est ante Livium, apud quem, excepto nominativo masc. generis, totus singularis invenitur.

consimilis: sexcenties hoc composito pro simplici utitur Valerius, ita ut saepius in eo usu versatus esse videatur; locos laudavit Kempf in proll. p. 41.

Nec minus adamavit:

priscus: pro «vetus» et «antiquus»:

prisco instituto I 1, 1 (vetere I 6, 11).
prisci viri I 1, 12.
prisco more I 5, 4, genetiv.: II 6, 7 et 10, 8 (accus.).
priscis his verbis I 8, 4.
priscae consuetudinis III 8, 6 (antiquae II 6, 7) unde apparet parum curiosum Valerium in illis adiectivis discernendis fuisse.

Primus Valerius haec adiectiva introduxit:

favorabilis IV 5 —, *inconcessus* VII 3, 10 (cf. Verg. Aen. I 655).
alienigenus II 1, 10 et 2, 3.

9. Mira haec est adiectivorum cum substantivis coniungendi ratio, quam poeticam dixerim licentiam:

domestica relatio = domesticorum (ostentorum) r. I 6 ext. 1.
pertinax casus imminentis violentiae = pertinax imminentis casus violentia I 7 ext. 4.
in *ancipiti* opinione aestimatio versatur I 8, 7.
cognitio *virilis* = c. quam vir habet II 6, 7.
erubescenda sentina II 7, 1. — *nodosam* stipem exsolvite II 9, 1.
multus sermo VIII 2, 4. — *fertilissimum* doctrinae hominem VIII 7 ext. 2: de Socrate dictum est. — *sequestrem periurii* pudicitiam IX 1, 7. — *laetis manibus* IX 2, 2.
domestico iudicio = suo i. III 7 ext. 2. — *citerioris* curae = propioris c. III 8 ext. 1.
fraternum exitum I 7, 6.

De pronominibus.

1. Pronomen reflexivum:

in oratione obliqua quae dicitur ad eiusdem interdum sententiae subiectum refertur, non ad primariae sententiae: I 1, 13 Tarquinius — M. Atilium —, quod librum — custodiae *suae* (Atilii) conmissum tradidisset, — abici iussit. — I 1, 15 Senatus decrevit, ne matronae — luctus *suos* extenderent.

aut ad logicum primariae sententiae subiectum:

I 7, 4: ab eodem deo interrogatus, an — poenam neglecti imperii *sui* (sc. dei) pependisset.

aut cum pron. demonstrativo mutatur:

I 7, 5: Cicero — vaganti sibi C. Marium — putavit obvium factum et *interrogantem eum* (Ciceronem).

I 8 ext. 7: nuntiatum est duos venisse iuvenes — rogantes ut ad *eos* prodiret.

II 8, 1: iubet eos iurare de utroque numero vere ab *iis* senatui esse scriptum.

IV 1, 6: cum eum cives sui tanquam seditiones apud *eos* moventem accusarent.

VII 6, 1: querentibus quod neque stipendium neque frumentum classibus *eorum* et exercitibus socii praeberent.

2. suus = proprius: I 8, 3: simulacrum Iunonis sede *sua* movere conabantur. — I 8, 7: referamus nunc quod *suo* saeculo manavit ad posteros. — II 1, 10 pubertas canis *suum* decus reddebat. — II 4, 5: saecularibus initium *suum* reddere. — V 1, 7: a quaestore *suo* — puer missus est. — VIII 6, 4 *sua* lex — eum absumpsit.

3. Genetivus pron. reflexivi personalis adiungitur substantivo:
spectaculo *sui* II 2, 9. — *sui* appellatione II 1, 6. — ad vindictam *sui* I 1 ext. 3. — finem *sui* IX 12 ext. 1. — *sui* custodia IX 13 ext. 2.

4. Reflexivum cum Gerundio et Participio:
defendendi *se* potestatem facit V 9, 1. — impigre *se* laboribus — offerendo dabat operam II 3, —. — exercitus *sui* auribus inculcando II 7 ext. 2. — occidendi *sui* gratia IX 4, 2.

quaerentes de *se* patienter retinuit IV 1, 7. — sermone *suo* metu eius discusso I 7, 8. Dionysio *se* continente I 7 ext. 6. — ordine totius casus *sui* exposito 1 7, 4.

5. *quisque sibi:* eo ordine semel inveni: VIII 6, 3: docuit nihil aliud (vel potius *aliis*. vide ADN. CRITICAS p. 46) praecipi debere nisi quod prius *quisque sibi* imperaverit.

6. *ipse:* locum pron. reflexivi obtinet: II 4, 5: Lares familiares ut puerorum periculum in *ipsius* caput transferrent oravit. — II 6, 2 non, ne *ipsis* adspectus eius terrorem, sed ne hostibus fiduciae aliquid adferret.

7. Pronomina demonstrativa:

is: supervacuum est: IV 1, 2 praesidium *eius* exulantis. — I 5 ext. 1 Sami Prienensibus auxilium implorantibus — sibullam *eis* miserunt.

et is: filio dumtaxat et ei puero II 2, 4.

ille — hic: in oppositis sententiis *ille* ad sequens, *hic* ad antecedens referendum est; *ille* per se ab initio paragraphi si invenitur, ad sequens spectat. Possum equidem hoc exemplis demonstrare, nisi timerem ne longus essem ea de re, quam in praefatione sua p. 42 Kempfius iam illustravit.

8. Pronomina infinita:

aliquis: in negativis sententiis: II 6, 2 ne hostibus *aliquid* fiduciae afferret. III 7, 2 respondit non esse eiusdem et capere *aliquos* velle et timere. in interrogativa sententia: potest *aliquis* hoc viro dici constantior? III 8, 3.
supplendum est: at, inquit (sc. aliquis) V 3, 2.

unusquisque = *quisque*: *unusquisque* pauperrimus IV 3, 6. — sua — *unicuique* distribuerunt — 9 (cf. ADN. CRITICAS p. 40). — quae *unicuique* erant carissima V 6 ext. 1.

uter: relativi pronominis vim habet: *utrius* autem dux copias hostium — devovisset, victricem abituram, sc. aciem I 7, 3; pr. infiniti: respondit, *utrum* eorum fecisset, acturum poenitentiam VII 2 ext. 1.

utraque haec: pluralis pro singulari I 6, 13.

quantuluscunque: pro simplici adiectivo cum substantivo (cf. Cic. Or. 1, 3 de hac me, *quantulacunque* est facultate quaeritis). iungitur: quae vox spem eius *quantulamcunque* comminuit I 5, 6. — item:

qualiscunque: in *qualicunque* statu VI 1, 9.

9. *nullus* = nemo: a nullo medicorum I 8 ext. 6. — eorum nulli II 6, 9. — nulli mortalium II 6, 17.

10. *unus* = aliquis: in *unius* barbari oculum III 2, 12. — ab *uno* eius nationis II 10, 6.

11. Cumulantur pronomina ab initio: VIII 6, 3 quid quisque sibi. — IX 12, 3 quem quid aliud.

De numeralibus.

Cf. quae p. 3 de VII 8, 2 contra Draegerum dicta sunt.

milia: semel inveni pro adiectivo cum substantivo coniunctum: VI mil*ibus* denar*iis* VII 6, 6.

De adverbiis.

De insolentioribus adverbiorum comparativis et superlativis iam supra, ubi adiectiva tractavimus, disputatum est. Haec fere sunt ea, quae Valerius primus in usum vocavit: *dissimulanter* I 5, 6 et IV 1 ext. 9. — *dolenter* III 5, 2. — (*efficaciter* I 1 ext. 1 iam apud Livium, *potenter* I 1 ext. 1 iam apud Horatium invenitur). — Cumulantur adverbia: *vix tandem* I 6 ext. 1. *ita tantopere* I 8 ext. 18. *ita tam* I 7, 5. *palam atque aperte* I 7, 6. *atque adeo* II 9, —. *Adverbium pro attributo* more Graecorum semel inveni: *nondum Asiatico* V 5, 1. — *Etiam nunc* II 9, 6, ubi *etiam tum* exspectares.

De verbis.

1. Simplex pro composito: *pendere* I 7, 2 (Halmius: «*im*pendere»).

2. V. reflexiva pro passivis: *populo se adprobanti* = qui populo adprobatus erat III 7 ext. 2. *se abrumpere* VII 7, 7. *se traicere* IX 8, 1. *se ferre* IX 15, 4 (iam apud Liv. 4, 45).

3. V. medio-passiva: *profusus in lacrimas* IX 10, 2.
transvehi II 2, 9 *provecti* II 2, 9 et IV 6 ext. 1.

4. Deponentium participia perfecti sensu passivo:
I 8 ext. 2 *scrutatis* sensibus III 5, 1 *adeptam* praeturam.

5. V. intransitiva et impersonalia interdum passivum personale quod dicitur habent: *persuasus* V 9, 4, III 8, 1; *erubescendus* I 8, 9. non *paenitendus* V 1 ext. 6 (iam apud Liv. 40, 56).
6. Intransitivum pro transitivo: *corruo* III 2, 17: imperium *corruat* consul.
7. Singula verba, quibus singularem in modum utitur Valerius:

agere: paenitentiam I 5 ext. 2, VII 2 ext. 1, III 4, 2 (partes *per*agere V 8, 3).

gerere: consulatum I, 1, 8. consulem IV 1, 4 (qualem). civem IX 1. 9, praetorem severiorem VII 7, 7, honores II 2, 1. (se Scipionem repraesentavit IX 2, 1.)

Frequentissimus est usus verborum *perseverandi* et *sustinendi* cum infinitivo coniunctorum, quorum alterum «sustinere» fere semper negativam particulam secum habet:

perseverare: sedere II, 2, 4. spernere II 2, 1. consectari III 6 —, contaminare III 8 ext. 3. imperare VI 4 ext. 4. (in proposito II 5, 4, in exigenda poena II 7, 8).

sustinere: aggredi non II 10, 6, neque repellere neque intueri III 8 ext. 4, nunquam spectare IV 5, 1, recipere non IV 5, 2, triumphum ducere non V 5, 2, intueri non V 7, 2. VI 5, 2 et 8, 3, caput coronatum gerere non V 10, 3, non cruciari VI 8, 5, nec punire VIII 1 amb. 2, ne — quidem occidere VIII 9, 2, non mergere IX 4 ext. 1; se occidi IV 6, 1, respondere V 7, 2, interpellare VI 2, 11 uti cibi genere VII 6, 2, conscendere IX 1, 7, ferre IX 4, 3, consilium capere IX 15, 1. (quaerentes de se IV 1, 7, nec sententiam VI 1, 11; parvulorum amissionem aequiore animo II 6, 16. quem casum quo robore animi V 10, 2. III 2, 7. spiritum non potuit IX 1, 6).

reperire et *invenire* inter se mutantur:

repertis = inventis I 1, 12, invenire = reperire I 8 ext. 8.

erubescere: subicere II 5, 5, mollire non II 6, 6, imponi iugum non II 7, 9.

nubere: uno loco de viris dicitur, qui feminas in matrimonium ducunt: IV 6 ext. 3 dignas (sc. feminas) fuisse, quibus Minyae nuberent.

aestimare: cum adverbio: fastidiose II, 2, 5, humiliter = parvi II 7, 14, prius = pluris VI 4, 4, callide VIII 12, 1.

ferre: cum adverbio: dolenter III 5, 2, dissimulanter I 5, 6, IV 1 ext. 9, impune non I 1, 20, tacite VIII 14, 5.

habere: c. adverbio: parum IX 5, 2.

ducere: c. adverbio: abunde V 3 ext. 3.

affici: c. adv. *graviter* = vulnerari I 1, 20.

facere: pro *reddere:* spectaculum illustrius IX 11 ext. 1. res meliores IV 1, 10, alacriorem se VIII 13 —. at *reddere* suo loco: iuventutem alacriorem II 1, 10, M. Valerium speciosum VIII 15, 5.

appellere et *solvere* absolute adhibuit Valerius, omisso subst. *navem:* I 5, 6, — 7, 3, — 1 ext. 2, — 8, 2 (solvere).

8. Impersonalia: non *est* fieri I 7, 2 quantum dinoscere *erat* II 2, 8. *vacasse* patribus conscriptis V 2, 1.

II. DE SYNTAXI.

De subiecto et praedicato.

1. Singulari numero praedicatum exprimitur, quod spectat ad duo subiecta:
vinculum et observatio admonet me II 9 praef.
probitas et continentia examinata *est*, ibid.
at: aut probitas aut respectus opitulata sunt IX 14, 3.

2. Praedicatum cum «milia», non cum substantivo personali congruit: *XV Romanorum caesa, capta, fugata sunt* I 6, 6. cf. I 8, 6 et IX 1 ext. 3.

3. Praedicatum omittitur: cop. *esse* saepissime in prima singulorum paragraphorum sententia: Nec minus voluntarius Iunonis in urbem nostram transitus (sc. *est*) I 8, 3; alias: sed minus miror quod mulieres (sc. *sunt*) IX 12, 2 nescio an superiore maius (*sit*) II 9, 2. si sint (di), quales (sc. *sint*) I 1, 7. ubi cum summa veneratione recepta (sc. *sunt*) I 1, 10 (at cf. Adn. criticas p. 30). nescio an factum (*sit*) V 4, 6. nescio an prudentiae consilium (*fuerit*) VII 2, 16.

In pendente notione Infinitivus *esse* deest:

Quid aliud putamus quam effectum (*esse*) I 7, 1. Persen captum (*esse*) apparuit I 8, 1. captum (*esse*) Persen cognitum est II 2, 3. deserta (*esse*) sacra non aequo animo ferens II 5, 4. fidem praestandam (*esse*) arbitrabatur II 6, 11. quem a M. Antonio interemptum (*esse*) luce clarius erat IX 15 ext. 2. facturum (*fuisse*) respondit IV 7, 1.

Alia verba desunt: breviter et abscise (*dictum erat*) III 7 ext. 6. Quid feminae cum contione (*faciunt*)? si patrius mos servetur nihil (*faciunt*) III 8, 6. vellem quidem placidius (*referri posse*), sed quod relatum (*est*) verum est I 6, 11. uterque recte (*egit*) IV 1, 3. cf. IV 3, 14 et 3, 5.

4. Subiectum omittitur apud infinitivum:
I 8 ext. 8 inventurum (*eum*) equum. — 7 ext. 8 Hamilcar vocem exaudisse (*se*) credidit.
I 7, 8 idem dixit ab illo retiario trucidari (*se*) putasse (*se*). III 8, 1 pacisci (*se*) persuasam. VII 2 ext. 2: respondit, utrum eorum fecisset, (*eum*) acturum paenitentiam.

De temporibus.

1. *Consecutio temporum:* praesens sequitur tempus perfectae actionis (perf. logicum) effecit ut quisquis velit — definiat II 10, 8; *de perfecto historico* pendet *coniunctivus eiusdem temporis:*
a) sententiae quae dicuntur *substantivae:*
II 6, 8 *evenit* forte ut — *destinarit* — *aestimarit.*

b) sent. *concessivae* (cf. p. 4, quae de « cum interim » adnotavi): cum *excubuerit* — nihilominus propositum *exsecutus est* II 7, 15.

c) sent. *temporales* unum adnotavi (cf. quae p. 4 de « *priusquam* » contra *Draegerum* dixi): nam cum Africam *subiecerim*, nihil praeter cognomen *rettuli* III 7, 1.

d) sent. consecutivae: *iniectus est rubor* adversus eam gentem saeviendi, quae — *potuerit* I, 1, 15. — nemo *fuit*, qui non *libaverit* VIII 15, 7. peculiaria sibi maria *excogitavit*, ut nulla tempestas *inciderit* IX 1, 1.
(adde: adeo *tenebantur*, ut — *enuntiaverit* II 2, 1).

e) sent. causales: quos memoriae *proditum est* pecunias mutuas quae iis apud inferos redderentur, dare *solitos*, *quia* persuasum *habuerint* II 6, 10. — plus gloriae adferre *potuit*, cum — superarit VII 6 ext. 3.

f) sent. interrogativae: dubium *reliquisti* inter undasne pugnam fortiorem *edideris* an in terra vocem *miseris* III 2, 21.

2. *cum primum:* cum Plusquamperf. coniunctivo: *iuraret* se, cum primum *potuisset*, — hostem futurum IX 3 ext. 3.

3. *Infinitivus* Perf. ἀοριστικός qui dicitur, pro inf. praesentis (cf. quae supra p. 4 memoravimus):
I 8, 7 nostrum sit non *refugisse*. — 4, 2 aeque enim virtutis est et *auxisse* et transferre *voluisse* — 8 ext. 2 utilius fuit non *impetrasse* quam *caruisse*. — ext. 8 quantum interfuerit *cecinisse* et *obtrectasse*.
II 4, 2 ne quis — subsellia *posuisse* sedensve spectare vellet.
IV 8, 4 multum *occupasse* invidiam habere potuit, tantum *tribuisse* — non potuit.
IV 2, 3 non contentus *communicasse*. — 7, 3 nec hactenus amicum *egisse* contentus (at inf. Praesentis: VI 3, 1: non contentus — supplicium *afficere*, VIII 2, 1 nec contentus in eos *saevire*).
II 7 ext. 2 alium *perspexisse* satis est. II 9, 9 *adiecisse* satis est. IV 3, 14 abunde erit *rettulisse*. IX 5, 2 parum habuit — *egisse*.

4. Plusquamperfectum pro imperfecto:
malum ni ea (signa) continuo *effodissent*, minatus est I 6, 6. quodsi adhuc periculum ei *obiecisset*, nullam partem — aures reciperent VII 3, 6.

5. Futurum exactum in notione condicionali:
I 6, ext. 1: ne, si *adprehendero* — *videar*. II 7, 13 quae ubi *desciverint*, *oppressura sunt*, nisi *opprimantur*.

6. Participium perfecti cum v. habendi pro simplici verbo:
I, 1, 8 *remotos* a cultu oculos *habere*. III 3 ext. 4 aures *attonitas habuit*. VIII 7, 1 *partam* (gloriam) *haberet*.

7. Perfectum et Plusquamperfectum interdum formantur formis: fui — fueram: IV 1, 12 concitatio *progressa fuerat*. V 2 ext. 4 *missus fuerat*. IX 5, 2 *ausus fuerat*.

De modis.

1. Indicativus potentialis: qui adcurrere *debebant* I 6, 6, qui existimari *poterat* I 8, 7. non absurdum videtur II 4, 5 *potuerat* nisi maluisset IV 3, 13.
2. Coniunctivus potentialis: *velim nolimve* III 7, 8. quis enim *comprehenderit:* praef. vel *aequaverit* vel *antecesserit* I 1, 10. merito *certaverint* I 5, 2. itaque femina liberalitatis testimonium *receperit,* sed opes non *comparaverit* IV 8, 2.
3. Infinitivus loco substantivi:

   VI 9 ext. 6 *velle ac posse* in aequo positum erat. VII 3, 7 *cuius non dimicare vincere* fuit. IX 2, 1 scelus *intueri* scelus *admittere* fuit.

De casibus.

De accusativo.

1. Verba intransitiva simplicia cum accusativo iam Livius exhibet, unde Valerius haec sumsit:

   triumphum proclamasse I 6, 5 (cf. Liv. 26, 62)

   sanguinem sudasse I 6, 5 (cf. Liv. 22, 1).
2. Verba intransitiva composita cum accusativo coniuncta apud Valerium haec adnotavi:

   adire sortes I 3, 2 (Par. epit.).

   antecedere gloriam I 1, 10.

   excedere solitum modum I 6, 3, non modum IV 3, 5 at: ultra fidem veri III 2, 24, supra rationem I 8, 19.

   praecedere omnes I 1, 14, triumphum V 10, 2.

   ingredi proelium I 8, 6, actuosam vitam II 1, 10.

   egredi cubile II 1, 3, urbem II 1, 2, patriam III 3 ext. 2, portum I 8 ext. 14 — at: nave VIII 15, 10, urbe IX 3, 1.

   invadere hostem II 6, 2, Italiam I 7 ext. 1.

   inrumpere hostium exercitum III 2, 8.

   praecurrere aetatis stabilimentum III 1, 1, poenam morte IX 12, 7.

   interfari: se contionantem IX 5, 2.

   praestare: eum statura et forma IV 7 ext. 2, praeterea sex locos adnotavi quos iam Draegerus laudavit p. 352.
3. Verba quaedam transitiva singularem in modum in usum vocavit Valerius:

   I, 8, 8 *trahere:* primordia. *sumere:* auspicium II 1, 1 (petere I 4, 2, capere I 4, 1), supplicium *ab* IV 1 ext. 1 (exigere V 1 ext. 1). quem locum unde *ordiar* I 7, 1. quod violentia (Subi.) *cogit* III 8, 6. *temperavit* se VI 2 — spiritum IX 2 ext. 9. *occupare* hospitia VII 3 ext. 9.

4. Accusativus Graecus: III 2, 23 tragula *femur traiectus,* saxi pondere ***ora contusus*** (cf. Liv. 21, 7).

5. Acc. praedicativus: *habere* (ubi Cicero «judicare» vel «putare», similia **habet)** te civem habere supersedeo II 6, 6, eum arbitrum haberent V 2 ext. — *facere* invisos V 3, 3 (cf. supra p. 12 «facere»).

   Cuius accusativi vices obeunt praepositiones, vel ablativus «loco» : ***habere*** loco uxoris VIII 7 ext. 5, *habere* in deliciis I 5, 3. *ducere* voluptatis loco I 1 **ext. 3.** *afferre* pro dono I 1 ext. 2. cf. p. 22: *pro.*

6. Acc. verbalis adiectivi neutrius generis: *magna spirantem* III 1, 7. (conf. **Apul. met.** 2, 7 *dulce condiens,* 6, 6 *suave resonantes*).

7. Acc. adverbialis: *nihilque* eo prodigio inhibitus I 6, 6 *quid* attinet I 20 ext. 3. *quid ita* tandem confusionem in vultu gereret III 1, ext. 1.

8. Acc. loci: mire: «*Epirum*» (omissa pr. «in») V 1 ext. 4.

9. Acc. exclamationis sexcenties apud Valerium invenitur, cuius unum exemplum *sufficiat*: *Hascine vires* amicitiae! IV 7 ext. 1.

De dativo.

1. Intransitiva quaedam verba cum apud Ciceronem semper dativum pro obiecto postulent, Valerius interdum accusativum iis apponit: *obtrecto numen* I 8, 8, *temperare* se VI 2, conf.: invidere commemorati*onem* exter*nis* IV 4 ext. 1 (temper*are sibi* VIII 7, 2).

2. Intransitiva composita haec inveni:
   adesse: disciplinae II 7, 3 — cui IV 2, 7.
   alludere: versibus Homeri III 7 ext. 4 (apud Ciceronem absolute).
   congruere: proposito I 5, 4.
   convenire: proposito et votis I 7 ext. 1.
   inservire: litteris I 8 ext. 2.
   insistere: criminibus III 8 ext. 4.
   insultare: Romano sanguini I 7, 12.
   V. simplex: *iungere:* iunctaque fonti aedes I 8, 1.

3. Transitiva composita:
   adhibere: manus alicui rei I 1, ext. 6.
   aspergere: II 10 ext. 1: domesticis exemplis aspersa (exempla).
   imponere: eculeo III 3 ext. 2, VI 8, 1, VIII 14 ext. 5; rogo I 8 ext. 1, VII 1, 1; cervicibus VI 9, 2, VIII 9 ext. 2; capiti III 7, 1, VII 2 ext. 5; singulis IX 10 ext. 2; at: in id I 1, 10, in rogum IV 6, 3, in suam sedem V 1 ext. 1.
   iuxtaponere: amicos amicis III 8 ext. 5.
   interponere: se reipublicae IV 1, 6.
   reponere: capiti V 10 ext. 2.

superponere: maternis gremiis IX 2, 4.
innectere: religioni I 5 — *sub*nectere: gloriae II 6, 15.
inicere: fulmen tranquillitati I 7 ext. 6; stilum rei II exord.; caelestibus furorem I 1, 15.
includere: custodiae IV 6 ext. 3. machinae IX 2 ext. 1.
interdicere: ei convictum II 7, 9.
substernere: navibus IX 2 ext. 1.
suffigere: cruci VI 2 ext. 3. — erogare adulationi IV 7 —.

4. Dativus personae cum v. passivis pro praep. *ab:*
Cosso multum *acquisitum est* III 2, 4.
quibus salus *quaesita est* VII 3, 8. *sibi* de his *dictum esse* VIII 14 ext. 3.

5. Dativus commodi et incommodi:
Pompeio caput adaperuit V 2, 9. illum *Calpurnio* damnavit VIII 2, 1. supplicatio *Marti* est habita I 8, 6.

6. Dativus finalis:
exercitum *pugnae* comparabat I 7, 8. III 2, 10, vide quae p. 4 contra Draegerum adnotavi. quo plus *receptui* sumunt III 6, 1. *signo* datus est I 5, 7. cui *remedio* quaesitus erat I 8, 2. maximis viris *verecundiae* non erat II 5, 5. *verecundiae* non fuerat II 7, 7. *documento* fuerunt II 7, 11. nec fuit eis *timori* II 10, 1. curae habere V 1, 1. *timori* datum est VI 2, 3. *fastidio* non sit VI 3 ext. 1. ut Vario Caesar *piaculo* caderet IX 2, 2, nec fuit ei *pudori* IX 5 ext. 1. se *quieti* et *somno* dedit I 7, 7. magnae *verecundiae* est Latinis annalibus IX 13, 2. *rubori* oportet esse IV 6 —. nec fuit his *rubori* IV 4, 5 (conf. Adn. criticas p. 40). at: *in* adiutorium mittere I 5 ext. 2.

7. Dat. causae: effecitque ut — eodem exitio et *eversis iam arboribus* poenas lueret et adhuc *superantibus* immunitatem consimilis iniuriae pareret I 1, 19. — supplicium *fidei* remisit IV 7 ext. 1.

8. Dativus praedicativus: cui *Leto* cognomen erat I 5, 9. cui cognomen Hepta*chordo* fuit VII 8, 7 (cf.: cui nomen erat Equi I 8 ext. 8, scaenico nomen histrionis inditum est II 4, 4) maximo tibi postea et *civi* et *duci* evadere contingit V 4 ext. 2. *chlamydato* sibi et *crepidato* ambulare deforme non duxit III 6, 3.

9. Dativus sequitur adiectiva et participia:
acceptus: diis immortalibus I 8 ext. 7. successum omini acceptum referentes I 5 ext. 2. pugnae acceptum ferre II 7 ext. 2.
adtentus: continentiae II 5, 5.
intentus: quaestioni III 8 ext. 1, acri studio I 7 ext. 4.
par: vicissitudini *im*parem III 7 ext. 7. Platoni par IV 1 ext. 3.
similis: monstro III 5, 1. cui simillimus IX 14, 4. regi IX 14 ext. 1. cum Genetivo: III 4, 5 caliginis simile imperium, IX 14, 2 Menogenis, coci sui s. IX 14 ext. 3: praetoris admodum s., sui tam s., ibid.

De genetivo.

1. G. totius:

a) Gen. pendet a pronominibus neutr. generis: *hoc loci* III 7, 3, IV 1 ext. 4. VIII 2, 4. *eo loci* II 2, 6. *illo loci* III 1, 2. *quodam loci* V 1 ext. 1. *aliquid loci* II 10 ext. 1. *aliquid fiduciae* II 6, 2. *aliquid virium* I 5, 6. *aliquid* GRATAE VOLUPTATIS I 6 ext. 1 (subst. pendens cum attributo hoc uno loco inveni). *id prodigii* I 6, 8. *id monstri* I 7 ext. 1. *aliquid novitatis* IX 1, 3.

Alia vide p. 7, 3 *b*) 1 et 2, ubi Gen. pendet ab adiectivis generis neutrius.

b) G. pendet a pronominibus aut ab adiectivis masculini generis:

ante *omnes exterarum* gentium II 2, 3.

aliquos amicorum IX 11, 4 (cf. Tac. hist. 3, 3 quidam militum). *ab uno eius nationis* II 10, 6.

quorum ab uno I 8, 3 (at: unum de multis VII 8, 9). conf. multus sermo = multum sermonis VIII 2, 4.

2. Gen. qualitatis. Ut iam apud Ciceronem genetivus et ablativus inter se mutantur, ita Valerius promiscue sine ullo discrimine utrumque exhibet,

e. g. *eximia facie* puerum I 1, 16 et *eximiae formae* virginem adultae aetatis IV 3, 1 (duo genetivi ab eodem substantivo pendent).

Licet addere haec quae mira sunt:

hic cum *eius studii* esset cuius professores sophistae nominantur, *ineptae et mordacis opinationis* I 8 ext. 8. aeque *felicis eventus* flamma eluxit I 6, 2. *fecundi cursus* scripta III 7 ext. 1.

Nomen appellativum interdum omittitur:

eius potestatis (sc. vir) Socrates III 8 ext. 3. is (serpens) *tantae magnitudinis* fuisse dicitur I 8 ext. 19. Dio *vehementioris experimenti* IV 1 ext. 3. Darius *privatae adhuc fortunae* V 2 ext. 1.

3. Gen. pretii: *tanti* poena finita est V 3, 2; de verbo «*aestimare*» cum adverbiis coniuncto v. supra p. 12. *ducere* (uno tantum loco apud Ciceronem invenitur cum Gen. pretii coniunctum): pensi II 9, 3, parvi II 7, 15.

4. Gen. epexegeticus: *supplicii* genus = supplicium I, 13, genus *casus* inusitatum IX 12, 2. ab hoc iniuriae genere VII 3 ext. 8. cf. inter officium unguendi = inter unguendum IV 6, 3. simile hoc: adiectio impensae = impensa adiecta I, 1, 8.

5. Gen. obiectivus: Notandum est usus pron. reflex. «sui», quod apud Tacitum et Senecam frequentissimum est: *spectaculo sui* I 2, 9, ad vindictam sui I 1 ext. 3. *sui custodia* IX 13 ext. 2. *sui appellatione* II 1 6. (cf. conspectum *tui* I, 1, 12).

6. Gen. subiectivus: finem *sui* reperit IX 12 ext. 1; duramento *sui* confirmat VIII 7 praef.

7. Singularis est Genetivus cum copula «esse»:

moris est II 8, 6 (cf. Cic. pro Rosc. Am. XXX 83: et id signi erit). *pessimi est exempli* IV 1, 11. *ambiguae aestimationis est* IX 10 ext. 2.

8. Verba monendi, recordandi, iudicandi omnibus fere temporibus pariter tractantur: *recordari* etiam apud Ciceronem accusativum habet ut Val. II 9 —: *acta* censoriae potestatis. memoratu hoc dignum inveni: mulierem *impudicitiae sestertio nummo,* Titinium *summa totius dotis* damnavit, VIII 2, 3.
9. De verbis affectuum «paenitet» et similibus, unum confer «*paenitendus*» p. 12, 5.
10. Adiectiva et Participia: propinquae mortis *secura* II 6, 14. propositi *invitam* IV 3 ext. 3, *inrita* nefarii propositi IX 15 ext. 1 (*inritam* fesso labore VIII 11, 5).
indigno gloriae suo decreto IX 2 ext. 8 (conf. Verg. Aen. XII 649: *magnorum* haudunquam *indignus avorum*). cuius morbi *aeger* V 7 ext. 1. regni *auctus* V 2 ext. 4. et animi et generis *nobilissimus* V 6, 2, nominis et animi *excellentes* viros IX 1, 3. *capax* generosi spiritus III 7 ext. 7. *similis* vid. p. 17, 9.

De ablativo.

1. Abl. distantiae. Apud «aurei aevi» scriptores praepositiones ablativo adiunctae sunt: ex, de, a, Valerius fere semper simplici utitur ablativo:
abituros se Italia II 9, 8.
egredi: nave VIII 15, 10, navi (sic) I 8 ext. 11, urbe IX 3, 1, conf. p. 15, De acc. 2.
progredi: praesidio II 7, 6.
excedere: vita III 8, 5, absolute I 1, 20: decedere.
descendere: plaustro I 1, 10, templo IV 5, 3 (a Capitolio V 4, 4, e rostris V 4, 5), equo II 2, 4, loco VIII 5, 6.
cedere: filio *regno* cessit V 7 ext. 2, mea sede I 5, 4.
movere: sede sua I 8, 3, senatu II 9, 2 (cf. II 9, 3: e numero senatorum sustulit).
petere: Iunonem caelo petitam I 8, 3, foro petitos gestus VIII 10, 2.
levare: crimine levatus est III 2, 9.
desistere: incepto VI 5 ext. 2.
manare: ore II 6, 8. — *praecipitatus:* saxo I 8 ext. 8, VI 5, 7 Tarpeio saxo praecipitari, IX 2, 4 muris (*e muris* Halmius ex Paridis exemplo sumsit).
emittere: cavea missi pulli I 6, 7.
abstinere: se curia I 7, 2.
prohibere: exercitum usu amnis I 8 ext. 19.
respuere: tela et vim veneni vulneribus I 8 ext. 18.
retundere: suspicionem animo I 7 ext. 3.
interdicere: ei praetor paternis bonis interdixit III 5, 2, cf.: ei convictum hominum interd. II 7, 9. (vide Adn. criticas p. 34).
procul: dubio I 5, 5, amentia I 6, 12. at: non procul a Vesuvii m. radicibus I 7, 3. (Liv. 8, 8 haud pr. a radicibus V.) conf. *proximus ab:* Platone V 10 ext. 2, Romulo III 2, 4.
2. Abl. originis: Drypetine, Laodice regina nata I 8 ext. 13, Syracusis genitus Dionysius I 1 ext. 3.

3. Abl. loci: *caelo* receptus est IX 15, 1. —
albis equis residentes I 8 ext. 2. — *censibus* reperta est IX 1, 2. —
via Latina: simulacrum quod est v. L. I 8, 4 at: *in via sacra* incendium ortum *VIII* 1 Damn. 5. (vid. Adn. criticas p. 32 I 8, 4).
vacua area destitutum IX 2 ext. 7. — *oratione* in Plautium scripta patet IX 5 ext. 4. — *luminibus* captus I 1, 17. —
loco: cf. p. 16, 5; *loco* dicendae sententiae II 10 ext. 2. — *falso* filii mortis *nuntio* IX 12, 2 («in» omissum est). — *mente:* consistere I 1, 20. — *genibus* nixus II 4, 5.
Abl. loci cum praep. «in» coniungitur: *in* ordine senatorio retentum non esse II 9, 3. impendere plus studii *in* elaborando VIII 10, 2.

4. Abl. temporis qui respondet quaestioni: quando?: *senectute* VIII 13, 1, apud Ciceronem et Livium «in» non omittitur ante substantiva quae vitae aetatem circumscribunt; neque Valerius praepositionem omittit ante magistratuum nomina: *in censura* I 1, 20, tertio *in consulatu* VI 2, 8 et 11. Non sibi constat usus in his:
eo *momento temporis* I 8 ext. 7, *momento temporis* I 8 ext. 5, eodemque *momento temporis* I 8 ext. 18, II 7, 1 et V 10 ext. 3. *eodem momento* (omisso «temporis») IV 7 ext. 1 et VI 4, 3. parvo *temporis momento* V 1, 8.
Conf. usum Ciceronianum cum his: *in aspero* ac *difficili temporum articulo* IV 2, 2, *in tali tempestate* III 2, 17.
Abl. temporis respondet quaestioni: *intra quod tempus?:* spatio unius diei I 6, 12 — aut quaestioni: *quamdiu?* ubi accusativum exspectares:
triennio continuo I 8, 2, *continuis tribus noctibus* II 4, 5. *triduo* I 8, 2. *decem diebus* iacuisse I 8 ext. 1. *multis saeculis* II 2, 1. *tot annis* V 1 ext. 1.

5. Abl. modi:
a) *cum attributo* substantivum fere semper coniungitur:
modo (apud Ciceronem: «hoc, illo» additur): salubri VI 2, intolerabili IX 7, 4.
maxima diligentia II 2, 4, magna diligentia II 3, 4.
at: summa *cum* diligentia II 1, 5, magna *cum* perseverantia II 2, 2 maxima *cum* examinatione IV 1, 8; mire praepositio «*cum*» deest hoc loco: eaque (*sc. cum*) sarcina tamquam opimis spoliis alacer in urbem reversus est V 3, 4.
b) sine attributo: *vitio* tabernaculum captum I, 1, 3. *consilio ac ratione* IV 1, 3. *respectu* mei III 2 ext. 2.

6. Abl. causae: eius *instinctu* II 4, 6. *inusitato malo propter* malum I 7 ext. 4. paventibusque *inusitato spectaculo* I 8, 2. *duplici ordine* dentium deforme I 8 ext. 13. *sincera fide* incorruptum II 1, 3. *quo nomine* II 8, 2. *eo nomine* II 8, 7. ne parvi qui demcertaminis *discrimine* III 8, 2.
hoc = ea de causa III 7, 4.
gratia: nimius est Valerius in hoc ablativo, quo multo frequentius utitur quam «causa», (hoc voc. septies decies, illud ter et vicies adnotavi).

7. Abl. instrumenti: *fuga* quaerens salutem I 5, 6. ut *oculis* illa quia *ore* nefas erat, *manderet* IX 2, 1. *Pylade* paene *amico* quam *Agamemnone* notior est *patre* IV 7 exord. (pro *per* seu *ob* Pyladem etc.).

8. Abl. copiae et inopiae: *frequens iuventute* gymnasium IX 2 ext. 5. *ministerio deserta* sacra II 5, 4. (immunem *ab* hoc iniuriae genere reliquit VII 3 ext. 8). deceptus *spe* I 7 ext. 8).

defici = privari: *defectus:* suo consilio III 1 ext. 1. lenocinio III 7 ext. 2. loquendi usu V 4 ext. 7. mortalium frequentia V 5, 3. alimentorum facultate VII, 6, 2. oculorum acie VIII 7, 4. lateris firmitate VIII 7 ext. 1.

deficiebatur advocatis VIII 3, 2. (aggeri exstruendo materia deficeretur VII 6, 5.)

9. Abl. comparationis: citerior LEGITIMO TEMPORE VIII 15, 1. *uno gradu* citerior A PUBLICO SUPPLICIO manuque carnificis IX 12, 6. —

mire cumulati ablativi: *honoribus et auctoritate* OMNI CIVITATE *suis temporibus* maior IV 3, 6.

10. Abl. mensurae: *uno plus* IV 8, 5.

11. Singula verba: *constare:* non fortuito motu sed divina providentia I 5 —. virtus saevitia c. IX 2 ext. 2. *in* quibus flos iuventutis constitit IX 6, 2. fructus *in* scelere consistebat IX 6. —

permutare: reliquias prospero fine II 6, 8. imperium consulare *pro* regio VI 1, 1. coniugis fata *pro* tuis IV 6, 1.

mutare: bellum pace V 4, 1, paupertatem inopia IV 8, 2, metum fiducia VII 4, 1.

pensare: iuvenes sene I 1, 14. tarditatem supplicii gravitate I 1 ext. 3. nefarium concubitum morte I 8 ext. 3.

De praepositionibus.

Singulis casibus cum iam quaedam de praepositionum usu adnexuerimus, restat ut pauca addamus:

ad: — *ultimum* = postremo, sexcenties cf. I 8 ext. 19. — *summam* = denique III 4, 3, IX 2, —. — multum odium dissidebat III 7, 7.

«ad» cum substantivo terminum atque eventum significat: ornamenta quae *ad invidiam usque* contraxerat = ut invidiam moveret I 6, 12, VI 9, 5. opum quibus *ad invidiam* abundaveras II 2, 5. *ad desperationem usque* medicorum laborantibus V 10, 2. *ad vim et cruorem usque seditiosas contiones* VI 5 ext. 4. *ad discendum* pauperem = ita pauper ut discere cogeretur IX 4, 3. *ad deos usque cavillandos* demens I 8 ext. 6.

lusum *ad imperium* transtulerunt = pro imperio duxerunt IX 9, 3. *ad omnes ventos immobili* cinere I 8 ext. 18. *prompta ad* lites contrahendas V 3, 2.

propter: auspicia repetenda in urbem proficiscente = auspici*orum repetendorum causa* III 2, 9.

inter: quem si *inter miseros posueris* VI 9, 14. — sacrificandum I 1, 5. — paucos splendidus V 2, 5. — exempla numerandus IV 1, 9 (cf. Tac. ann. XI 24). I 6, 11.

Quibus exemplis similia non apud Ciceronem inveniuntur, qui «in» cum gerundio coniungit, non «inter», item dicit «ponere in», non inter.

intra: privatum habitum se continente I 7 ext. 6.

supra: vota V 1, 1.

ante: omnes IX 4, 3.

post: leve est post magnificentiam argumentari = *ex* magnificentia IV 6 ext. 1.

ultra: tres versus III 7 ext. 1.

circa: cultum capitis *occupatae* IX 3 ext. 4.

ex: *ulla ex parte* IV 1, 13, *e vita excessus* I 8 ext. 10. — *facili* (= adv. facile) IV 8, 1; VI 8, 6. VIII 7 ext. 4. — *insperato* I 5 ext. 2. *ex auctoritate* senatus = secundum a. I 1, 12.

pro: attributivi substantivi locum obtinet: — *dono* adsignatum I 1, 17, — adtulisset I 1 ext. 2. ut *pro hoste* interficeretur II 7, 10. — suo iure sumere I 8, 2.

in: *in has usque* iacentis *iniurias* esurire IX 4, 3 (conf. *ad: ad* vim et cruorem usque) plurimum *in ultionem suam* valuisse VI 1, 7. *referre:* in Origines VIII 1, 2, in tabul*as* publicas IX 2, 1. *reponere:* in aerarium IV 3, 9 (cf. Liv. 29, 19 in thesauros). Cicero semel accusativum exhibet: n. d. 1, 15 in deos. — in sinistr*â* III 8, 1. in *iis* II 2, 15. (*implicare:* cf. Liv. 23, 34: in morbum, at Valerius: subita tristitia implicatis animis I 6, 12, implicare summum imperium religione I 7, 4).

«in» mire ablativum postulavit in his:

in eorum *regionibus impetum facienti* V 4 ext. 5. cum Caesar populum *in hortis suis admisisset* I 15, 1 (cf. Corn. Lys. 1, 5 horum in numero nemo admittebatur). *in* cuius *bracchio* carbo ardens *delapsus* est III 3 ext. 1.

sub: omen sub quo occiderit I 5, 9. — magnis auctoribus II 2, 9. — alienis auspiciis III 2, 5. — magno iudice IV 6, 1.

super: — haec IV 1, 7. quod *super* omnia est IV 3, 3 et V 5, 1.

Mire praepositio («ad») non repetitur cum altero substantivo, apud quod diversum a priore sensum habet: ad arbitrium et spectaculum mulierculae II 9, 3: nach dem Belieben u. für den Anblick. *in* eum *adversum* pro simplici *adversus* I 4, 2.

De attributo.

mire: de *motu* et *voce* deorum immortalium humanis oculis auribusque per*cepto* I 8, 7. cf. *puer* p. 6 et p. 11 adverbium pro attributo.

De coordinatis quae dicuntur sententiis.

Particulae:

1. Copulativae: *Polysyndeton:* matres *ac* filiae coniuges*que* *et* sorores I 1, 15.
Correlativa: et non sustinuit revocatos*que* convertit III 2 ext. 9. omnibusque *et* cohortibus *et* legionibus I 8 ext. 19.
et = etiam: efficax *et* illa imago I 7 ext. 4. multa etiam interdiu *et* vigilantibus acciderunt I 8 —.
que = etiam: qui hodie*que* senaculum appellatur II 2, 6. hodie*que* IV 4, 2 (cf. ADN. CRITICAS p. 40); itaque quod hodie*que* eximium capit adiciam VIII 15, 1.
si quidem = enim, saepe etiam solam vim copulativam habet I 1, 12; I 8, 2; II 7, 12

2. Disiunctivae:
sive-sive: cum coniunctivo: II 2, 3 et 6, 5: — velis. — nostros status — proximorum ingenia contemplemur VI 9 —.

3. Causales: *nam:* ut *si quidem* saepissime ab initio singularum paragraphorum copulativam vim habet: I 6, 10; II 4, 7, alia iam Kempfius adnotavit p. 42.
namque: secundo loco ponitur iam a Livio, sexies et vicies apud Valerium secundo, octies primo loco inveni.

4. Conclusivae:
igitur: primo saepius quam secundo loco: quater decies primo, undecies secundo loco notavi. Contra:
itaque: secundo loco: II 6, 12 et 7, 11, III 1, 2.
ergo: plerumque idem quod *igitur* significat; ut «igitur» saepius secundo loco (octodecim locos numeravi), plerumque post interrogativa pronomina: *quid ergo, quantum ergo;* primo loco sexies decies inveni, semper cum altera particula sequitur: ergo nisi VII 4, 5. — si VII 5, 6. — dum VII 7, 4 et VIII 7 ext. 8. — etsi VIII 10 ext. 1. — ut III 8, 1. — cum II 2, 1.

De subordinatis quae dicuntur sententiis.

1. *Sententiae,* quae sunt *loco substantivorum:*
a) Infinitivus aut Accusativus cum infinitivo: quantum dinoscere erat II 6, 8 (cf. p. 12, 8), ne imper*atoribus* rogare *necesse esset* II 3, —.
Contra Ciceronis et Livii usum:
hostem *invadere admoniti* II 6, 2. constantius eam *praebere admonitus* IX 13, 3. quas *hortatur conferre* omne studium IX 1, 3. (*hortari ad capessendam* fortitudinem I 8, 6). *vinci timent* VII 6 ext. 1. *praecepit* vitam diligere, mortem non timere IX 13, 3 (praecipere *ut* VII 4, 2, I 6, 3).

adde: *prohibitus est sortes adire* I 3, 2 — disserere VIII 9 ext. 3 — pacem fieri VIII 13, 5, at: ut tacerent cohibere non valuit VIII 3. — indignatus de ea re dubitari III 7, 1.

b) *ut: meruisti ut* haberes I 8, 8; VI 2, 11; VII 3 ext. 9. non esse *credibile ut* non diligeretur IV 1 ext. 2. *id deerat malorum, ut* IX 2, 2.

ut ne = ne: VIII 14, 3 quo *factum est, ut ne* quis dubitaret. (cf. ADN. CRITICAS p. 46 VII 7, 1).

ne pro: ut non: *futurum ne* dinosceretur I 1, 8.

c) *Sententiae interrogativae*: *num* perraro invenitur, saepissime *an:* post verba:
interrogare: I 4, 1 et 8, 3. III 2 ext. 5 et 7, 1. VII 2 ext. 8. IX 11, 5.
rogare: I 7, 4. *quaerere* IV 3 ext. 2, VII 2 ext. 16.
sciscitari VII 1, 1. *consulere* I 8 ext. 8, VII 3 ext. 7.
experiri II 2, 4. *pignore posito* IV 3 ext. 3.
aestimo VIII 5, 6. *ambiguae aestimationis est* IX 10 ext. 2.
video VIII 14, —. *ignorare* I 2, 7.

2. De *sententiis temporalibus:*
cum: essemus = eo tempore quo eramus IV 1 ext. 3.
cum primum potuisset IX 3 ext. 3.
biduo postquam elatus esset I 8 ext. 1.
postquam non poterat III 8, 1.
ubi desciverint II 7, 14. *dum* (während) iuravit IV 5, 5.

3. *Sententiae comparativae,* quae dicuntur: quem quid aliud quam nimio gaudio enectum putamus? IX 12, 3.

4. *Sententiae causales: quoniam* pro *quod* aut *quia:*
A. Gabinius in maximo infamiae suae ardore suffragiis populi C. Memmio accusatore subiectus abruptae spei videbatur, *quoniam* et accusatio partes suas plene exhibebat et defensionis praesidia invalida fide nitebantur et qui iudicabant ira perciti poenam hominis impie expetebant VIII 1, 3.

5. *Sententiae condicionales:* pendent e verbis affectuum:
«miror», «mirum», similia:
si litterarum quoque lumen *accessisset magni aestimans* VIII 14, 1.
mire: tot exercitus trucidaverat, quot gregarios milites *si occidisset* magnae gloriae foret V 3 ext. 1.
si: cum indicativo pro coniunctivo:
cui *si* talibus studiis perfrui *fas non erat,* utilius aliquanto *fuit* non impetrasse quam cecinisse I 8 ext. 2. — iterum dignos *si* ausi *sunt* II 9, 1. utilissimo exemplo *si* tamen humiliter aestimare *permittitur* II 7, 13.
— continuatur per «ubi»: Quid feminae cum contione? *si patrius suos servetur,* nihil; sed *ubi* domestica quies agitata est III 8, 6.

quod nisi = quodsi non: *quod nisi* fortiter maerorem ferre scisset, unius diei lucem inter calamitosum patrem et strenuum consulem partiri non potuisset V 10, 3.

6. *Sententiae concessivae: quamvis* cum indicativo:

qui quamvis excubabant inque imperiis compescendis occupati erant, instrui tamen patiebantur II 2, 7. ceterum *quamvis* nitebantur, tamen obtinuit VII 7, 2. *quamvis* potentiam viri perstringere cupiebat, tamen fatebatur VIII 9 ext. 2.

cum adiectivis et adverbiis:

quamvis claris civitatibus II 7, 5. — maxima VIII 15, —. — merito perpesso II 7, 12.

quamquam: cum coniunctivo: *quamquam* superiorem se crederet tutiusque erat III, 2, 3.

De contractis sententiis secundariis quae dicuntur.

1. *Gerundium et Gerundivum:*

inter c. Gerundio vide p. 22.

Ablativus Gerundii: summam *duplicando* I 1, 21. signa *obscurando* I 6, 12. mel *inserendo* I 6 ext. 2. filiam *collocando* I 7 ext. 5. mortali adhuc corpore utentem *violando* I 8, 8. memoria cineres *honorando* II 4, 7. capite censum *legendo* militem II 3, 1. fasces securibus *vacuefaciendo* et populo *submittendo* IV 1, 1. singula *percurrendo* II 1, 10. senatus studium *inhibendo* IV 1, 4.

apud verba dicendi: *dicebat argumentando* I 1 ext. 3. *excusavit dicendo* V 2, 8. *expressit dicendo* VIII 9, 3. *significavit exprobrando* VIII 10, 3. *adiecit claudendo* ibid.. *dixit confitendo* VIII 10 ext. 1.

Genetivus, ubi Infinitivum exspectares: iniectus est *rubor* adversus eam *saeviendi* gentem I 1, 15. ut est *mos* hominum parvula initia *prosequendi* II 4, 4. *Lacedaemoniae invadendae* consilium agitabat I 6 ext. 1. necessarium *seniorum relinquendorum* consilium aperuerunt III 2, 7.

2. *Participium.*

Participium praesentis locum adiectivi habet praedicativi pro infinitivo:

quae *pertinentia* ad solis et lunae locum acceperat = quae *pertinere* acceperat, VIII 11 ext. 1; condicionalem vim habet: a quibus bona precamur, ab his *porrigentibus* (si porrigunt) nolle sumere I 1 ext. 3.

Participium futuri pro secundaria quae vocatur sententia:

exacturi I 1, 14. *conflicturus* I 6, 6. cui consuli *ituro* I 6, 7. *empturus* II 4, 5. *exituro* II 6, 9. *exituri* II 7 ext. 2. — in *ablativo* qui dicitur *absoluto* ponitur: id consulibus vel *expiaturis* vel *exsecuturis* exta somnio congruerunt I 7, 3. *eo* exercitum in Hispaniam *traiecturo* IX 3 ext. 3.

P. perfecti pro substantivo verbali:

Castor et Pollux Romanorum partium propugnatores *visi* I 8, 1. in suspicionem *C. Flavii occisi* venisset VIII 4, 2. candidis autem animis voluptatem praebuerint

in conspicuo *posita quae cuique magnifica merito* contigerunt VIII 15. Urbi autem nostrae Phil. Macedoniae *rex devictus* licentioris vitae fiduciam dedit IX 1, 3. *post CCC millia devicta* V 3 ext. 3.

Ablativus absolutus neutrius part. perf.:

auspicato I 4 ext. 2. *inauspicato* I 6, 6.

Ablativus absolutus participii verbi «velle»:

Thrasippo supplicium a se exigere *volente* V 1 ext. 2. *gymnasiarcha* claudere iam eum locum *volente* IX 12 ext. 6.

Contra grammaticae normam hi ablativi absoluti formati sunt, ubi part. coniunctum suo loco esset:

Thrasippo supplicium a se exigere *volente*, venit *ad eum* V 1 ext. 2. Lapso *equo* super caput *eius* prostratus est I 6, 6. *Eodem* montem Athon *transgresso* consilium *agitanti* prodigium incidit I 6 ext. 1 (nisi spuria sunt verba). *occiso* enim *Acrone* fusisque hostibus opima *de eo* spolia rettulit (Romulus) III 2, 3. — Sami *Prienensibus* auxilium *implorantibus* — pro classe et exercitu sibullam *eis* miserunt I 5, 6. Intra privatum habitum *Dionysio* se *continente* Himeraea quaedam inter quietem opinione *sua* caelum conscendit I 7 ext. 6.

Participium cum adverbiis et coniunctionibus coniungitur: *praesertim* vinctos I 7, 2. *tamquam* gloriose et feliciter *excessuri* — *quasi* turpiter et miserabiliter *perituri* II 6, 9. *perinde ac* repraesentaturus VIII 4 ext. 5. *veluti* corrupturus VIII 11 ext. 7. *ubi* omnibus peractis I 1, 11. insidias Philippi *perinde ac* pecunia corrupti III 8 ext. 6.

3. *Supinum.*

cf. p. 8, 6.

De verborum ordine.

1. Titulus praecedit interdum nomen proprium:

tyrannus Gelo I 1 ext. 3. Poenorum *dux Mago* I 6, 8. Macedoniae *rex Alexander* I 7 ext. 2. Asiae *rex Eumenes* II 2, 1.

2. Attributum a substantivo suo aliis vocabulis secluditur:

mortali discernebatur *a corpore* IV 5, 6. *qua* cognita *re* IX 12, 7. *pertinax* eorum *indulgentia* deorum I 1, 7. ob *id* deinde *factum* I 6, 8.

3. Praepositiones loco inverso:

quam in ancipiti opinione (pro *in quam*) I 8, 7. *cuius rei pro* argumento I 8, 3. *mentis ad* tranquilliorem habitum inclinatio IV 2, 2. ut *omnia ex iis quae*, pro: *ut ex iis* omnia quae — auferrentur II 7, 1 (cf. Adn. criticas p. 34).

4. *enim:* cum pro castello *enim* III 2, 23. data sunt *enim* IV 3, 9. non ignorabant *enim* V 6, 8.

5. *ne — quidem: ne* quod relaturus *quidem* sum VIII 2, 1.

6. *est: iussus* excedere *est* V 3 ext. 3. *ausa* petere *est* VIII 1, 5.
7. *namque, igitur, itaque*, vide supra p. 23.

De brevitate dicendi.

Iam supra de copula disputavimus, quae saepe omittitur (p. 13), idemque de aliis verbis demonstravimus. Licet pauca hic addere:

Syllepsis: puerorum II 4, 5 spectat ad *filii* et *filiae filios* = liberorum.

Substantiva, quae facile supplentur, desunt: vicinis deae (sc. *templo*) litoribus I 1 ext. 1. mater Corneliae Gracchorum (sc. *matris*) VI 7, 1.

cum eo = *cum his verbis* III 2, 20. — Bene etiam illi *disciplinae* militari adfuerunt, qui necessitudinum perruptis vinculis ultionem vindictamque *laesae* (sc. *disciplinae*) exigere non dubitarunt II 7, 3. inter undasne pugnam *fortiorem* edideris an in terra *vocem* (sc. *fortiorem*) miseris III 2, 23.

De licentiore dicendi genere.

miserabilior casus narratio: pro: miserabilioris casus narratio I 8 ext. 3.
fraternum exitum habuit = eundem quem frater exitum h. I 7, 6.
severiore severitate II 7, 11.
qui pudicitiam suam *sequestrem periurii fieri* passi sunt IX 1, 7.

Persaepe «appositio» vel substantivum quod est pro praedicato, abstractum est:

Asinius Pollio, non *minima* Rom. stili *pars* VIII 13 ext. 4. Epaminondas maxima Theb. *felicitas* idemque Lacedaemoniae prima *clades* III 2 ext. 5. te certissima *salus* patriae, Caesar, praef.. caelis clarissima pars, divi fulserunt Caesares I 2, 10. Carbo ardentissima fax VI 2, 3. Iam C. *Marius* maxima fortunae *luctatio* est VI 9, 14. *Ptolemaeus* rex *accessio* vitiorum suorum vixit IX 1 ext. 5.

Anacoluthiam, quae vocatur, unam afferre licet I 8 ext. 18: «*Quapropter* haec potissimum aut in liberis potentissimi regis aut *in rege clarissimo* aut *in* VATE INGENII FLORENTIS aut *in viris eruditissimis* aut IN HOMINE SORTIS IGNOTAE ne ipsa quidem — rationem rerum natura reddiderit, non magis quam *qui* ita silvestres capreas — tantopere dilexerit, quas — ad salutare auxilium herbae dictamni *tantum non* suis manibus deducit efficitque ut concepta ea et tela et vim veneni vulneribus respuant: aut in Cephalenia insula — capras — instituerit: aut *quapropter* — aram ad omnes ventos immobili cinere donaverit: potissimumve *quare* — voluerit: non admiratione ISTA sed memoria prosequi debemus.»

Pr. ISTA praecedentia omnia comprehendit primariamque sententiam cum anacoluthia quadam annectit. Est simul haec comprehensio eius dicendi rationis exemplum, quam Valerius nimie affectat, quaeque maxime in singulorum et librorum et capitum exordiis nos offendit: difficilis et singulorum verborum et singularum sententiarum [illegible] pendentium est nexus, ut non

statim videas quo quaeque pertineant. Pro «admirari» et «memorare», verbis simplicibus exquisitiora quaerit: admiratione et memoria prosequi; oppositis substantivis ab initio non eiusdem generis attributa adduntur, ita tamen ut inter se respondeant: aut in rege *clarissimo* aut in vate *ingenii florentis* aut in viris *eruditissimis* aut in homine *sortis ignotae*. Nimis longo intervallo separatum est pronomen *haec* a suo subst. *rerum natura*, qui verborum ordo distorti speciem praebet; accedit quod appositio, subiecto anteposita, ipso obiecto ab illo seiungitur: fecunda *artifex, rationem, rerum natura*. In singulis quoque vocibus hoc peculiare scriptoris studium elucet: *tantum non* fere semper pro *paene* dicit, *ita* auget cum adiungit *tantopere*, nec minus exquisita est locutio: *ad omnes ventos immobilis;* poetarum sermonem imitatur in verbis: *ad salutare auxilium herbae* tantum non *suis manibus* deducit.

Conclusio.

Quodsi paucis verbis complectimur quid in universum sentiamus de huius scriptoris dicendi ratione, negari non potest, eum, quod pertinet ad grammatica praecepta, aequalium et paulo antecedentium dicendi consuetudinem retinuisse. Neque mirum, cum constet, plurima exempla a Valerio sumta esse ex Livii et Ciceronis libris, ita tamen ut nihil fere ex iis transcripserit quod non suo «*colore*» ut ita dicam tingeret. Est vero hic color magna ex parte quasi poeticus, quem iam fere nimis a Livio in prosam orationem inductum esse vidimus; quod ut demonstrem, has tantum locutiones, quae carptim in libello adnotatae sunt, hic comprehenderim: *regi difficilis* VII 3, 6, *cognosci utilia* IV 6, *puniri dignos* II 9, 1. *fraternum exitum* I 7, 6. *Scipioni nondum Asiatico* V 5, 1. *paenitentiam agere* I 5 ext. 2. *graviter affici* I 1, 20. *tragulo femur traiectus, saxi pondere ora contusus* III 2, 23. *magna spirantem* III 1, 7. *Epirum* (pro *in* E.) V 1 ext. 4 *regni auctus* V 2 ext. 4. *invadere admoniti* II 6, 2. *post trecenta millia devicta* V 3 ext. 3. *Ptolemaeus accessio vitiorum suorum* IX 1 ext. 5. —

Multa sane restant quae ex hoc studio quasi poetice scribendi explicari nequeunt. Optime haec *Quintilianus* (Inst. or. II 5, 11), candidissimus harum rerum aestimator, «distortis et quocunque modo prodigiosis corporibus» similia esse iudicavit. Valerius quique eodem tempore vigebant, ut Velleius Paterculus, naturae incorruptae minus nitoris inesse putantes quam iis quae artificiosa et ornata sunt, cum exquisite scribere vellent in inflatam tumidamque dicendi rationem inciderunt.

PARS II.

ADNOTATIONES CRITICAE.

Valerii Maximi factorum et dictorum memorabilium libri ut recentioribus temporibus ne dicam oblivione, sed neglegentia quadam obruebantur, ita per totum medium aevum quod vocamus vel usque ad XV saeculum cum persaepe describebantur, tum complurium compilatorum et epitomatorum studio varie tractabantur. Minime mirum; eadem enim *Valerio* sors contigit quae reliquis eiusdem generis scriptoribus, dico *Justinum, Florum, Velleium Paterculum,* alios; ex quo primarios ut ita dicam antiquitatis fontes adire unum habetur dignum studium, in quod operam viri docti conferant, nescio an illa minoris momenti monumenta e naufragio quasi temporum nobis servata non iure neglegantur. Infitiari quidem non potest, multa nobis ex antiquitatis reliquiis illorum scriptorum opera servata esse, sed cavendum est, ne nimis momenti tribuatur eorum industriae, cum tantum non omnes critica quam nos dicimus historiae scribendae arte carentes in libris conscribendis versati sint.

Iam vero ut ab iis quae in universum monenda esse duximus ad nostrum compilatorem transeamus, constat nuperque praecedente *Kempfio Zschechii* libello qui inscribitur: *De Cicerone et Livio, Valerii Maximi fontibus,* Berolini 1865, denuo demonstratum est, *Valerium* longe maximam Romanorum quae dicuntur exemplorum partem ex duobus illis scriptoribus hausisse, externa exempla ex *Herodoti* et *Trogi Pompei* libris sumta esse. Quae aliunde compilavit tam exigui momenti sunt, ut dubitari liceat, num alios omnino libros Valerius inspexerit. Quamquam in mentem cuipiam veniant *Sallustii, Caesaris, Cornelii Nepotis, Diodori, Dionysii Halicarnassei* libri quibus certi quid probari non potest. Neque magis potest diiudicari, quaenam e *Pomponii Rufi, Varronis, Asinii Pollionis,* aliorum operibus, quae aut prorsus aut maximam partem perierunt, in usum suum converterit.

Quae cum ita sint, haud scio an benignae fortunae gratia sit habenda, quae cum opera illa nobis non amplius suppeditent, non omnino ea perire siverit. Mox vero videbimus, cum *Valerii* librorum naturam perspexerimus, qualis eius scriptoris verbis omnino habenda sit fides. Ut enim ab ipsis illis verbis proficiscar, quae facit in totius operis praefatione de consilio quod in libro componendo secutus sit «ut documenta sumere volentibus longae inquisitionis labor absit»: haec ipsa verba nobis demonstrant, qua via et ratione *Valerius* in ipsis fontibus tractandis usus sit. Nam et ipsum *Valerii* dicendi genus rhetoricum quendam, ut ita dicam, colorem habet, quem tantum non omnes illius aetatis scriptores plus minusve affectabant, et totius operis indoles hoc spectat, ut discipulis rhetoricae arti studentibus ἐγχειρίδιον sit. Quod si hoc concessum erit, facile nobis persuadebimus, non eadem norma metiendum esse *Valerii* opus atque rerum scriptorum, *Livii, Taciti,* similium libros historicos. Ut enim *Valerii* parum apparet interesse, ipsa auctoris sui verba semper et ubique quam accuratissime circumscribere, ita saepe etiam fallitur in ipsis referendis rerum quas narrat auctoribus, quorum nomina commiscuit: cuius generis omnia fere peccata sunt quae a Kempfio in editione sua p. 26 sqq. reprehenduntur, de quibus accuratius disserere mihi non est propositum.

Inde ab eo tempore quo primus *Kempfius* critico Valerianorum librorum apparatui accuratius scrutando operam navavit et quasi fundamentum emendationis posuit, doctissimorum virorum studium huic scriptori emendando allatum est. Nam *Kempfius* primus, ut omittam editores priores, qui etsi non raro corruptis locis lucem addiderint, cum de codicum auctoritate nil iis stabilitum esset, non via ac ratione opus suum aggrediebantur — de singulorum codicum auctoritate et praestantia sententiam pronuntiavit verissimam. Innumerabilibus codicibus *Valerii* exempla nobis tradita sunt, quorum ex numero *Kempfius* septem contulit. Inter omnes fere unus est *Bernensis* liber ut vetustate ita lectionis praestantia dignus qui respiciatur: nono aut decimo saeculo exaratus esse videtur, et quamquam multis locis emendationes lacunarumque supplementa recentiore manu addita et non pauca e *Julii Paridis* epitome ad marginem adscripta sunt, purissimam tamen archetypi codicis lectionem servavit. Praeter eum codex *Wolfenbuttelanus* abbreviatus (littera Γ signatus a *Kempfio* et *Halmio*) solus mihi videatur esse respiciendus.

Praeter codicum auctoritatem *Valerii* librorum emendatio ex abbreviatorum, inprimisque *Julii Paridis* compendio pendet, quod e fonte multo puriore quam omnes *Valerios* qui extant codices fluxisse, *Halmius*, recentissimus Valerii editor, demonstravit. *Julius* enim *Paris* ita *Valerium* excerpsit, ut singula verba describeret contracta sane et omissis omnibus additamentis, quae ad ipsa facta et dicta pertinere non videbantur. Hic atque illic nova quaedam addit, interdum ita a *Valerii* verbis recedit, ut ex aliis scriptoribus illum mutuatum esse aut *Valerii* fontes, non Valerium ipsum adiisse appareat (cf. I 7, 6, ubi quae *Paris* de *Dionysio* narrat multum a Valerio discrepant). Epitomatorum alter, *Ianuarius Nepotianus*, qui et ipse quaedam nova prorsus exempla addidit, quae apud *Valerium* desunt, non ad verbum *Valerium* excerpsit, ut *Paris*, eiusque epitomes capita quae supersunt duos tantum priores libros et initium tertii continent. Quae cum ita sint, quamquam *Paridis* exemplum non uno loco ad *Valerii* verba emendanda plurimum valebat, e *Nepotiani* exemplo nil ad textum restituendum quaeri potuit.

Restat ut de archetypi natura pauca addam, quae in verbis emendandis animadvertisse mihi videor. Illum enim iam ipsum mendosum fuisse sexcentis locis probare possum: ubicunque melioris notae codices inter se non consentiunt iam archetypus lacunam praebuit. Inprimis verborum ordo iam in archetypo mirum in modum turbatus erat, conf. quae ad III, 3 ext. 1 in criticis adnotationibus dicta sunt, praeterea II 2, 9 et 7, 1, IV 1, 14 et 3, 6, ubi solo ordine mutato emendanda sunt mendosa verba. Deinde aut singula verba aut totae sententiae exciderant, conf. emendationes nostras I 1, 19, 6 ext. 1, III 2, 7, V 2, 6, etc. In margine aut super lineas non pauca adscripta erant ab interpolatoribus, quae cum genuinis verbis in textum coaluerunt, cf. III 4, 2; V 6, 3. Sunt etiam graviora menda, quae nisi misere archetypi exemplum mutilatum esse statuimus, orta esse non possunt cf. II 8, 7, IV 1 ext. 8, V 3 ext. 3, VII 2, 10.

Iam ad singula transeamus.

I.

I. 1. 10. *Caeretem oppidum pervexit (L. Albinius), ubi cum summa veneratione* **recepta.** *grata memoria ad hoc usque tempus hospitalem humanitatem testatur.*

Ita Halmius singula inter se coniunxit; Kempfius ita: — pervexit. Ubi — testantur: contra Bernensis codicis auctoritatem (ubi literae *pta*, ut ipse conspexi in rasura altera manu addita sunt) mutavit, quod non magis quam quod Halmius vult ferri potest: vix enim quisquam mente suppleverit *sunt* post *recepta*, quod sine dubio supplendum esset; Halmius ipse *sunt* addere malit; legendum autem mihi videtur: — pervexit, ubi cum summa veneratione receptis grata memoria usque ad hoc tempus hospitalem humanitatem tes*ta*tur. — Conf. I 1, 11 *ubi* omnibus solemni more *peractis* in Capitolium victor rediit: *ubi* eodem modo cum participio coniunctum pro: *et ibi.*

I. 1. 14. (*Regulus*) *in contrarium dato consilio Karthaginem petiit, non quidem ignarus ad quam crudeles quamque merito sibi infestos* **deos** *reverteretur.*

Deos Halmius uncis inclusit, qui praefert *hostes* (quod deterioris notae codex Wolfenbuttelanus E exhibet), de quo nemo dubitaret nisi codicis Bernensis auctoritati repugnaret; neque facile quisquam sibi persuaserit *hostes* mutatum esse in *deos*. Perizonii coniectura *dominos* nuper a G. Beckero (in illis annalibus quae dicuntur «*Neue Jahrbücher*» 1867 p. 337) probata est, cuius viri-docti ratiocinationi equidem adstipulari nequeo: primum quod ille Valerii locum VI 5, 5 in examen vocavit, cui et ipsi emendatione medendum erat, deinde vero *dominos* nullo modo hic ferri potest: indignum esset Romano quamquam captivo, hostes, in quorum potestate est, dominos appellare. Codicum tantum non omnium consensus iam archetypum, ex quo illi transcripti sunt, mendosum fuisse demonstrat. Scripserat Valerius **reus**, quod primum mutatum erat in *deus*, unde correctum *deos* e perversa interpretatione eorum, quae sequuntur: *potuerunt profecto di immortales efferatam mitigare saevitiam.* Sententiae huius loci accommodatissimum adiectivum *reus* videtur: Regulus Karthaginem redit non ignarus, quam *merita* poena ibi afficiatur *in contrarium dato consilio.* Eis quae antecedunt *quamque merito sibi infestos* adiectivum *reus* adiungitur quasi explicandi causa: *merito* ipsi infesti erant, quia ipse se *reum* esse sentiebat. Eodem adiectivo Valerius absolute usus est V 4, 1: populus qui *reo* non pepercerat, *exuli* coactus est supplicare.

I. 1. 19. *Nec minus efficax ultor contemptae religionis filius quoque eius Aesculapius qui consecratum templo suo lucum a Turullio, praefecto Antonii, ad naves ei faciendas magna ex parte* **succissum** + *inter ipsum nefarium ministerium devictis partibus Antonii, imperio Caesaris morti destinatum Turullium manifestis numinis sui viribus in eum lucum, quem violaverat, traxit, effecitque* e. q. s.

Excidit participium post «succisum», quod iam deteriores libri omnes suppleverunt qui habent: *dolens, inique ferens, indignatus:* Kempfius; *ulturus:* Halmius; propter litterarum similitudinem: **succensens** post **succisum** a librario mihi omissum esse videtur.

I. 1. ext. 2. *Factum Masinissae* **animo** *quam Punico sanguini conveniens!*

Hanc librorum scripturam K. et H. in editionibus retinuerunt, exlamationis virgula addita. Apparet ex sequentibus: Quamquam quid attinet mores natione perpendi? sensum illius sententiae hunc esse debere: Id quod ex animo Masinissae factum est, quam conveniens est Punico sanguini! Valde autem dubito, num verba «factum Masinissae animo» ita interpretari possis, ut modo exhibuimus. Oriatur hic alterum dubium, quia Masinissa Punici sanguinis esse fingitur, cum Numida sit, Valerio autem qui rhetoricum, non historicum opus composuit, ut in aliis ita hoc loco memoriae lapsus, ut ita dicam, concedendus erit. Haereo igitur in ablativo *animo*, quo voc. eiecto totus locus bene se habet: Factum Masinissae quam Punico sanguini conveniens! Non opus est comparativo: *convenientius*, de quo Halmius cogitavit, qua mutatione totius loci sensus prorsus mutaretur; habebat certe in animo vir doctus: III 3, 1. *Quid enim his, quae supra rettuli, facto Mucii convenientius;* quod tamen nostro loco non quadrat. At confer VII 2, 4: *Quid, illud factum Lucii Fimbriae consula ris quam sapiens!*

I. 6. 10. *In quem* **metus** *augurium tristi fine vitae incidit.*

Recte, quid Valerius dixerit, Kempfius exposuit: «Octavius omine exitium suum significari putabat, tristique eius morte augurium evenit.» metum igitur K. scribi vult, ut sententia sit: «dum in eo metu versatur Octavius, tristi vitae fine id accidit, quod augurio significatum erat.» Augurium vero pro re augurio praedicta poni non credo, nisi huius significationis exempla proferantur. Pro *metus* scribendum esse mihi videtur **mortis**; litterarum ductus non adeo dissimiles sunt, ut non facile haec vocabula inter se mutari potuerint; *mortis augurium* idem significat atque «mors augurio praedicta», ut sententia haec sit: cui mors augurio praedicta accidit, id quod tristi fine vitae comprobatum est.

I. 6. ext. 1. *Nam qui mare classibus, terram* **pedestri + et** *fugax animal pavido regressu regnum suum repetere est coactus.*

Variis coniecturis lacunam archetypi deteriores codices expleverunt: ante omnia offendit quod verbum deest in relativa sententia, etiam substantivum desiderabatur, ad quod pertineret *pedestri;* quo factum est ut adderentur verba: *exercitu operuit, et* mutaretur in *ut.* Bernensis libri scriptura archetypi lectionem accuratissime mihi servasse videtur: hae enim singulorum verborum reliquiae in archetypo fuerunt: *pedestri..... at;* correxit librarius Bernensis *pedestri et fugax animal,* parum curiosus de antecedentibus. Ut alia omittam, non pedestria sed terrestria appellantur animalia quae in terra vivunt, qua de causa etiam Foertschii coniectura displicet: qui mare classibus *terruerat, pedestre et* fugax animal qs. Aliter ego totius loci sententia respecta lacunam expleverim: Xerxes comparatur cum lepore animalium pavidissimo, pavido enim regressu regnum suum repetere coactus est; cuius miserabilis condicio quo magis appareret, adiciendum erat scriptori, eum antea non timidum sed propter classium copiarumque magnitudinem vel maxime timendum fuisse. Quae cum ita sint, scribendum est: *nam qui mare classibus, terram pedestri*[**bus copiis terruer**]*at fugax* etqs. De verbis *copiae pedestres* conf. Cornelii Nepotis Alc. 8, 2; confer etiam quae Valerius infra III, 2 ext. 3 dicit de Xerxe: *gravem* illum et *mari* et *terrae* Xerxen, nec hominibus tantum *terribilem* sed Neptuno quoque compedes et caelo tenebras minitantem.

I, 8, 4. *Quod est* **via Latina** *ad quartum miliarium.*

Eadem ratione qua intra II 7, 9 p. 34 ex analogia, ut ita dicam, mutandum esse existimabam, hic quoque mihi scribendum esse videtur **in** *via L.* cf. VIII, 1, Damn. 5 *in via sacra* incendium ortum. Ablativus sine praepositione nisi apud verba meandi, currendi et similia non apud Val. invenitur.

I. 8. ext. 7. *Aeque dis immortalibus acceptus Simonides, cuius salus* **ab imminenti** *officio defensa, ruinae quoque subtracta est.*

Dett. pro *officio: exitio, naufragio* cod. Coleri, quod Halmius recepit; *ab imminenti officio* ferri sane non potest. Simonides, de quo supra I, 7. ext. 3. Valerius rettulerat, somnii monitu naufragium evitaverat, iterum a triclinii ruina defensus est. Itaque si legimus ab imminenti exitio, iure Kempfius interrogat, quaenam sit oppositio in Simonide deorum ope non solum ab imminenti exitio verum etiam a tecti ruina defenso, tamquam ruina non et ipsa minitata esset exitium? Kempfius et ipse de «*naufragio*» cogitabat; nimis vero a litterarum similitudine abhorret, ut alterum pro altero legi non potuerit, ut taceam de attributo quod desideratur apud substantivum *ruinae.* Neque vero v. «*officio*» hoc loco desideraverim: ipsum enim Simonidis officium, i. e. comis humanusque animus, quo Simonides in naufragi illius corpore humando usus erat, tantopere ei propensos reddiderat deos, ut eum inter quietem per eundem naufragum admonerent, ne proximo die navigaret; qua monitione ab ea, quae reliquis navigantibus accidit, sorte defensus erat. Itaque non in substantivo «*officio*» sed in participio «*imminenti*» haereo; litterarum ductus comparanti mihi scribendum esse videtur: *a tempestate* pro *ab imminenti;* quamquam condedendum est, non facile quemquam ab altero ad alterum aberasse, tamen nescio an non casu factum sit, ut utrisque vocabulis idem litterarum numerus sit. Itaque hunc locum ita restituerim: cuius salus **a tempestate** officio defensa, ruinae quoque subtracta est.

II.

II 1, 10. *Pubertas canis suum decus reddebat, defuncta* **viri cursu** *aetas ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur.*

Ni omnia me fallunt, pro *defuncta viri cursu* comparato loco III 2, 7 «defuncti enim *honoribus*» a Valerio scriptum erat: *defuncta* **honoribus suis.**

II, 2, 9. *Equestris vero ordinis iuventus omnibus annis bis urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat. Lupercalium enim mos a Romulo et Remo inchoatus est tunc, cum laetitia exultantes, quod iis avus Numitor, rex Albanorum, eo loco, ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino,* **hortatu Faustuli educatoris sui** *quem Euander Arcas consecraverat, facto sacrificio caesisque capris epularum hilaritate ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti obvios pellibus immolatarum hostiarum iocantes petiverunt.*

Quo loco verba: *hortatu Faustuli educatoris sui* in libris leguntur, a Valerio posita non sunt, quae referantur oportet ad *Numitorem.* Etsi Valerius hic atque illic in similes errores incidit, exempli gratia: ubi Tanaquil Anci Marci uxor perhibetur I 5, 1, hoc tamen loco errorem Valerio tribuere non possumus. His enim verbis interpositis nexus inter *Palatini* nomen et pronomen relativum *quem* intolerandum in modum, ut Kempfius recte iam vidit, interrumpitur. Halmius Kempfio auctore uncis verba seclusit, interpolatori cuidam tribuenda esse iudicans. Mihi vero haec verba non videntur esse eicienda, sed transponenda. Iam Gronovius proposuerat: *Palatino, quem Euander Arcas consecraverat, hortatu Faustuli educatoris sui,* qua in emendatione hoc potissimum mihi displicet, quod pronomen reflexivum *sui* nimis remotum est a substantivis ad quae pertinet; in universum hoc pronomen, nisi ad subiectum refertur, tum tantum adhibetur, cum substantivum ad quod spectat statim sequitur (conf. quae «De Val. dicendi genere», p. 10, 2. in priore huius libelli parte diximus). Kempfius hoc in Gronovii coniectura vituperat, quod Faustulus suasor vel potius auctor illorum sacrorum existeret, quae tamen a Valerio ipso «sub magnis auctoribus celebrari» dicebantur; Faustulum quoque in referenda sacrorum institutione nusquam commemorari et ne Nepotianum quidem verba agnoscere idem vir doctus monet. Cui rationi a Kempfio prolatae equidem consentire non possum. Primum enim verbis illis «sub magnis auctoribus» non repugnat, Faustulum suasorem fuisse sacrorum, quae a Romulo et Remo inchoata sunt: Romulus et Remus «magni auctores» sunt, etsi Faustulus ut sacra inchoarent, suaserat. Deinde quod vir doctus dicit Nepotianum haec verba non agnoscere, nihil ad rem; epitomator ille Nepotianus liberius Valerii libros excerpsit, quam ut his tam exiguis in rebus eum praecipue sequeremur, immo quod ea omisit, nihil aliud mihi probat, quam eum putasse, illa verba non nimii esse momenti. Postremo quod illa verba offendunt, quia Faustulus in referenda sacrorum institutione a nullo scriptore commemoratur, minime mirum, cum praeter Valerium nemo, nisi fallor, Lupercalia a Romulo instituta esse rettulerit. Quae cum ita sint, equidem iustam causam non habeo cur spuria quae videntur verba eiciam, quae si post *Remo* inseruerimus, optime se habebit totus locus: Lupercalium enim mos a Romulo et Remo, **hortatu Faustuli educatoris sui,** inchoatus est tunc etqs.

II, 6, 7. *Ceterum a condita urbe gladius est ibi quo noxii iugulantur, rubigine quidem exesus et vix sufficiens ministerio, sed index in minimis quoque rebus omnia antiquae consuetudinis* **momenta** *servanda.*

Hanc codicum lectionem Kempfius defendit, contra Halmius, cuius «emendationes Valerianae» mihi non ad manum sunt, ex Paridensi exemplo «*monumenta*» recepit. Totam historiam si accuratius inspexerimus, non incertum erit quid Valerius scripserit. Apud Massilienses enim mos erat, ut noxii gladio iugularentur, quam antiquam consuetudinem tam religiosis animis tantaque pietate servarunt, ut eodem illo gladio, quo utentes ab urbe condita iugulabant, uterentur, quamvis exeso rubigine et vix sufficienti ministerio. Eiusmodi consuetudinis exiguum momentum Kempfio fuisse videtur, ut eodem illo gladio noxii iugularentur, quo iam maiores ab istis sceleratis poenam exegerant. Quomodo autem hoc exiguum momentum, i. e. pars illius consuetudinis appellari possit non video; quid enim, si gladius casu frangeretur? num ab eadem iugulandi consuetudine desisterent? non minus omnia momenta, i. e. omnes particulas consuetudinis servare poterant, novo utentes gladio, dummodo, quae fortasse illa antiqua erat consuetudo, noxii statim ad supplicium traherentur, aut paucos dies in carcerem includerentur, aut quid aliud excogitaveris. Itaque et gladium mutare neque maiorum consuetudinem non servare potuerunt.

Sed gladium quamdiu possunt servant, naturae enim proprium est vetusta venerari. («Was grau vor Alter ist, das ist ihm heilig».) Accedit quod verbis *in minimis quoque rebus*, quae certe ad rubiginosum illum gladium pertinent, sensus non inesset, si referenda essent ad *noxiorum supplicium:* non enim minima mihi videtur res esse supplicium, sed maxima; minimi vero momenti est sive antiquo, sive novo gladio in iugulando uti. Quae cum ita sint, **monimenta** a Valerio scriptum fuisse arbitror; *monumenta* etiam Vincentius Bellovacensis in speculo hist. III, 111, exhibet; de forma mon*i*menta conf. III, 7 ext. 6, ubi codex Wolfenbuttelanus, cui non minima fides habenda est, «**monimentum**» habet; mihi, quia m*o*menta facillime pro mo*ni*menta legi poterat, prior est causa, cur mon*i*menta magis placeat.

II, 7, 1. *Eodem momento temporis quo castra intravit edixit, ut* **omnia ex iis quae** *voluptatis causa comparata erant, auferrentur.*

Offendit ordo verborum *omnia ex iis, quae* (relativum pertinet ad *omnia*); nullum inveni apud Valerium exemplum simile huic: quicunque haec eo ordine posita legit, *quae* ad *ex iis* referendum esse putat, cum *ex iis* ad *castra* pertineat. Itaque non vereor ne in nimiae audaciae suspicionem incidam, si ita ordinem mutaverim: edixit ut **ex iis omnia**, *quae.*

II, 7, 5. **Non digna** *exempla tam breviter, nisi maioribus urguerer, referrentur.*

Mendosa verba Kempfius, qui excidisse pauca existimat, ita emendare conatur: *non digna exempla tam augusto orationis ambitu;* neque tam breviter, nisi maioribus urguerer, referrentur; leviore mutatione hic locus mihi egere videtur, ita enim mihi Valerius scripsisse videtur: *non* **indigna** *exempla,* (sc. *illa* i. e. antecedentia *sunt*) **neque** *tam breviter* etqs.

II, 7, 9. *Interdixit ei etiam convict***um** *hominum us***um***que balnearum, turmasque equitum, quibus praefuerat, ademptis equis in funditorum alas transscripsit.*

Cum Valerius infra III, 5, 2 (quod *ei* Q. Pompeius praetor urb. *paternis bonis interdixit*) interdicendi verbo ita utatur, ut grammatici flagitant, etiam hoc loco convict**u** — us**u**que mihi restituendum esse videtur.

II, 7, 15. *Quo tempore tam* **iniusto** *tam gravi qs.*

Pro *iniusto*, quod ferri nequit, emendatum est: augusto, maesto, luctuoso (ex III 2, 7), fortasse **nefasto** Valerius scripsit, quod adiectivum reliquos scriptores plerumque cum substantivo *dies* coniungere constat.

II, 8, 7. *Itaque et Nasica Ti. Gracchum* ET **G. Metellus Opimi factiones** *mesti* (sic Bernensis exhibet) *trucidarunt.*

Locus desperatus, cui nemo adhuc attulit probabilem medelam. Kempfius de emendatione desperavit; quod Foertschius coniecit *Ti. Gracchum et Gai gemellas Opimius* qs. non minus displicet, quam de quo Halmius cogitavit: *Ti. Gracchi et Gai et Fulvi L. Opimius*, quoniam, etsi probabili sententia non carent, longius a librorum memoria recedunt. Verba quae codices exhibent e vestigiis corruptelae conlata videntur, perversa tamen ita, ut corrector, cuius sane ingenium interdum in emendandis locis facile agnoscitur, et ipse de hoc loco desperasse videatur. Quid fere scripserit Valerius, enucleari tantum potest: unum *Opimi* nomen probat de Gaio Graccho cogitandum esse; *Metelli* nomen nescio qua dementia ductus librarius excogitaverit; verba *Opimi factiones* sensu carent; desideratur Gai praenomen accusativo casu positum Opimique consulis nomen notione subiecti; substantivum *factiones*, si ita legendum est, cum Gai nomine coniungatur necesse est; in corruptis verbis *G. Metellus* mihi videntur inesse haec: **Gaium et eius,** quae corruptela facillima est expeditu, si scriptum erat *eiius; Opimi***us** (quod pro *Opimi* restitui), ut Nasicae nomen legitur ante *Ti. Gracchum*, ita ante *Gaium* collocandum, pro faction*es* scribendum est faction**em.** Totus igitur locus nescio an ita sit refingendus: *itaque et Nasica Ti. Gracchum et Opimi***us Gaium et eius** *faction***em** *maesti trucidarunt.*

II, 9, 6: *Nam cum equitum centurias recognoscerent et ipsi propter robur aetatis* **etiam nunc** *eorum essent e numero, ut est ad Polliam ventum tribum, praeco lecto nomine Salinatoris, citandum necne sibi esset, haesitavit.*

Nusquam Valerius, ubi sermo est de tempore perfecto, contra omnium usum *nunc* exhibuit, ut non dubitem *etiam nunc* mutare in **etiam tunc.**

II, 11, 2. *Sed* **et rex** *lacessitus maiestatem excellentissimi viri quam dolorem suum ulcisci maluit.*

Retinenda esse mihi videtur haec cod. Bernensis lectio; cum altera manu alterum *et* ante «*lacessitus*» in illo codice additum sit, Kempfius utrumque in textum recepit: sed *et* rex *et* lacessitus; Halmius contra utrumque *et* omittit: *Sed rex lacessitus* etc.; quamquam recte Kempfius adnotavit, Valerium eo dicendi genere quo appellationes duae sensu cohaerentes particulis *et* — *et* dirimuntur, ut alterius iam per se positae praegnans sit significatio, mire delectatum esse, tamen cum exempla accuratius investigaverimus, ea a nostro loco aliena esse videbimus: ubicunque enim Valerius illo dicendi genere usus est, omissis particulis *et* — *et* sensus nullo modo mutatur. Conf. III 2, 7 *et Galli et victores*, III 3 ext. 2 *et tyranno et Phalari*, VI 2, 1 *et victoribus et iratis*, II 10, 6 *et senem et inermem*, I 1, 14 *se et uno et sene:* alterum adiectivum semper habet solam attributivi vim et cum altero nomine coniungendum est ut substantivum cum adiectivo. Nostro vero loco participium *lacessitus* idem est atque *quamvis esset lacessitus:* hoc enim ipsum est quod spectat ad ea quae ab initio paragraphi leguntur: quem superiori Africano *etiam hostis* praestare non dubitavit. Itaque mihi videtur particula *et* pro *etiam* posita esse, neque omitti debet, ita ut sensus verborum: *Sed* **et rex** *lacessitus* sit: Sed etiam rex quamquam lacessitus erat.

III.

III, 2, 7. *Defuncti enim honoribus apertis ianuis in curulibus sellis cum insignibus magistratuum, quos gesserant, sacerdotiorumque, quae erant adepti, consederunt, ut et ipsi in occasu suo splendorem et ornatum praeteritae vitae retinerent et plebi ad fort***ium** *sustinendos casus* **suo** +.

Lacunam iam in archetypo fuisse consensus bonorum et discrepantia deteriorum librorum arguit. In Bernensi post verba: *casus suo* librarii errore iterata sunt *splendorem et ornamenta praeteritae vitae retinerent;* alii addiderunt *exemplum praeberent,* alii alia, quae enumerare longum est, cum librorum certe auctoritate careant. Halmius qui Bernensem codicem accuratissime inspexisse videtur, ita locum transcripsit (praef. p. XIII): «ut et ipsi in occasu suo splendorē et ornamenta praeterite vitae retinerent et plebe (corr. ex plebi) ad (*et plebe ad* in litura est) fortium sustinendos casus (extrema *s* manu altera addita videtur) suo + splendore + et ornamenta praeteritae vitae retinerent.» Primum Halmius negat verisimile esse *plebem* ita *senibus* opponi, et ex eo quod *plebi* in litura sit, concludit aliud vocabulum hic locum tenuisse. Plebis vero nomine ii significantur, qui splendorem et ornamenta praeteritae vitae non habent, quare mihi accommodatissimum nostro loco nomen plebis videtur. Deinde «fortius aliquid sustinere» nec bonam esse locutionem neque e melioribus libris traditam idem vir doctissimus contendit. De bona locutione equidem cum Halmio non consentio, quem fugit ipsius Valerii locus VII 5 in: *campi quoque repraesentata condicio ambitiosam ingredientis viam* **ad fortius sustinendos** *parum prosperos comitiorum eventus utiliter instruxerit* qs. De verbo «sustinere» conf. quae in priore huius libelli parte p. 12 conlecta sunt. Quod vero libri meliores *fortium* exhibent, qui genetivus Halmio ex *hostium* corruptus esse videtur, nemo non intellegit, quam facile fort*ius* in fort*ium* mutari potuerit, multo autem magis distare a tradita scriptura *hostium.* Denique Halmius non aptum esse putat, ut ipsius verbis utar, «quod ab illis senioribus iuniores vel obsessi (ita enim pro *plebe* scribendum esse putat) ad casus suos forti animo sustinendos incitati

esse feruntur; nam potius exspectares eos ad hostes acriter depellendos inflammatos esse». Ne huic quidem viri docti sententiae adsentiri possum. In illis enim temporibus iam non de depellendis hostibus cogitabatur, nihil aliud optari potuit, nisi ut forti animo casus suos sustinerent, h. e. fortiter se defenderent; neque aliud quicquam hoc seniorum exemplum efficere debebat, quam ut plebem doceret; *fortunae succumbere omni fato tristius esse,* ut sub finem huius paragraphi exponitur. Ipsa verba *casus suos* H. in dubitationem vocat, pro quibus suspicatur legendum esse *casu suo,* et iam a verbo *casu,* quo continebantur duae syllabae substantivi *oc|casu,* a librario sententiam iteratam esse. Mihi vero ipsa verba *casus suos* causa fuisse videntur, cur librarii oculi aberraverint, quia verbum *retinerent* sine dubio in fine versus scriptum erat, quoniam aliter explicari nequit, cur in hoc ipso verbo sententia repetita terminetur et omnino librarius errorem non animadverterit. Quibus expositis tertium accedit, quod Halmius audacius mutat, qui scribi vult: — *retinerent et obsessis ad hostium sustinendos incursus animos adderent.* Halmii autem supplemento *fortiore animo* ideo uti non possum, quoniam sententia, quemadmodum ego cum Kempfio arbitror, his verbis terminabatur: *animos confirmarent,* ut totus locus sic exhibeatur: *ut et ipsi in occasu suo splendorem et ornamenta praeteritae vitae retinerent et plebi ad fortius sustinendos casus suos* **animos confirmarent.**

III, 2, 16. *Qui cum ab hoste in acie vehementer* **parvulo** *peteretur, vagina gladius eius elapsus est.*

Mendosum «*parvulo*» varie critici emendare tentarunt; in cod. Bernensi margini adscriptum est *vehementi tragula.* Recentiorum coniecturae cum cod. Bernensis librario in eo errant, quod substantivum excogitarunt armorum genus significans, quo Cato petitus sit. Equidem in pluribus haereo: mirum videatur, Catonem cum peteretur, gladium non manibus tenuisse, quippe qui sine dubio in equo sederet, id quod Valerius non narrat; at Justinus XXXIII 2 dicit, Catonem equo delapsum pedestre proelium aggressum esse, qua in pugna gladium ei e manu lapsum esse, et Frontinus strat. IV 5, 17, scribit, eum ,equo lapsum aminadvertisse gladium e vagina excidisse. Parum certe diligenter fontes suos inspexit Valerius (unde hauserit non liquet), parum dilucide rem sibi repraesentavit; quid scripserit Valerius pro mendoso illo «parvulo» vix pro certo contenderim, verisimillimum mihi videtur: **perculsus,** ita ut hoc participio addito caus descripta sit, cur gladius e vagina decideret: vehementi perculsu corporis accidisse videbatur Valerio, ut gladius decideret.

III, 2 EXT. 5. *Quodsi eum di immortales victoriis suis perfrui passi essent,* **sospes** *patriae moenia intrasset.*

Ita meliores libri tradunt. Quid vero puerilius quam: si Epaminondas non mortuus esset, vivus domum redisset? is enim illorum verborum sensus esset. Dett. coniecturis locum tentarunt: sospes patriae moenia sed gloriosior non intrasset. Kempfius suspicatur excidisse aliquot verba ante v. *sospes,* velut *non gloriosior,* Halmius auctore Foertschio: *quid si — essent, et sospes* qs. Voc. sospes corruptum mihi videtur hac praecipue de causa, quod in antecedentibus verbis: *si eum di immortales victoriis suis perfrui passi essent,* iam satis adiectivi notio expressa est. Ut ab initio paragraphi Epaminondas *felicitas,* ita hic *spes* Thebanorum appellatus esse mihi videtur, pro *sospes* lego **quae spes,** ut sententia sit haec: *quodsi — essent,* **quae spes** *patriae moenia intrasset!* De abstractis, quibus significantur personae vide Pars I, p. 27.

III, 3 *ext.* 1. *Quo etsi ita urebatur, ut adusti corporis eius odor ad circumstantium nares pervenerit, tamen et dolorem silentio pressit et bracchium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut* **concusso turibulo** *impediret, aut* **edito gemitu regio** *aspergeret.*

Regias aures Kempfius recepit, quae verba in Bernensi codice altera manu adscripta sunt, ut mihi quidem videtur a sciolo librario ex VII 2 ext. 11 petita, ubi de eodem Alexandro disputatur: Aristoteles autem Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit cum eo aut rarissime aut quam iucundissime loqueretur, quo scilicet apud *regias aures* vel silentio

tutior vel sermone esset acceptior. Halmius Foertschii *religione* recepit pro *regio;* at *sacrificium edito gemitu religione aspergere* eadem dici sententia qua *sacrificium voce nefasta contaminare* vix quisquam crediderit. Locum accuratius tractanti mihi plura mendosa videntur quam critici adhuc perspexerunt. Haec fere a Valerio narrantur: ante Alexandrum sacrificantem puer constitit turibulum tenens manibus, ex quo carbo ardens in pueri bracchium delabitur (bracchia enim sursum tendens turibulum tenet ita ut carbo in nudo lacerto iaceat). Tanta vero puer ille patientia erat, ut et dolorem silentio premeret et bracchium immobile teneret, quo factum est ut carbo in bracchio relinqueretur. Cur vero hoc fecerit, aliter explicare non possum, nisi quod puer verebatur, ne aut edito gemitu Alexandrum sacrificantem interrumperet aut, si bracchium, ut carbonem deiceret, movisset, concusso turibulo regi carbones aspergeret.

Quae vero libri tradunt *ne sacrificium Alexandri concusso turibulo impediret, puer immobile tenuit bracchium* prorsus inepta sunt: bracchii enim levi motu, quo sane turibulum concutiebatur, carbonem amovere potuit, id quod minime caerimoniam impediebat; verum *edito gemitu* sacrificium interruptum esset. Pro certo igitur habeo verba *edito gemitu* commutanda esse cum verbis *concusso turibulo;* pro corrupto *regio* legerim **regem,** accusativus enim quia in isto verborum tenore prorsus ferri non poterat, variis coniecturis temptatus erat, parum felicibus omnibus, quia quibus verbis maximum inesset vitium nemo recte intellexerat. Scribendum igitur est: ne sacrificium Alexandri aut **edito gemitu** impediret aut **concusso turibulo regem** aspergeret. Qua ratione concinnitas quoque singulorum orationis membrorum, cui Valerius ubique operam dedit, restituta est, conf. III 6, 1; V 1, 7; 5, 1; 6, 6; 10, 1: Horatius Pulvillus, cum in Capitolio Iovi optimo maximo aedem pontifex dedicaret interque nuncupationem solemnium verborum postem tenens mortuum esse filium suum audisset, *neque manum a poste removit, ne* tanti templi *dedicationem interrumperet, neque vultum a publica religione* ad privatum dolorem *deflexit, ne* patris magis quam pontificis *partes egisse videretur.* Accuratissime etiam nostro loco respondent verba *et dolorem silentio pressit* verbis *ne sacrificium Al.* EDITO GEMITU *impediret,* verba *et bracchium immobile tenuit* verbis *aut* CONCUSSO TURIBULO *regem aspergeret.*

III 3. EXT. 4. *Paene tamen occidit gloriosius quam viguit, quia tam forti fine inlustrem professionis actum comprobavit, Anaxarchique non vitam modo* **deseruit** *sed mortem reddidit clariorem.*

Sensus horum verborum hic esse debet: Lingua (hoc enim subiectum totius comprehensionis est) cum tam forti fine professionis actum comprobasset inlustrem, vitam Anaxarchi non clariorem reddidit, quam mortem h. e. occidit gloriosius quam viguit. Kempfius restituisse sibi videtur sensum ita scribens: non vitam modo *non* deseruit, Foertschius cogitat de *decoravit* pro *deseruit* mihi scribendum esse videtur: non vit*ae* modo **deservivit,** sed. qs Conf. Cic. Leg. 1, 13 deservire corpori. Plin. Pan. 77: honoribus deservire, Plin. epp. 7, 7 studiis.

III 4, 2. *Tarquinium autem ad Romanum imperium occupandum fortuna in urbem nostram advexit alienum,* **quod exactu,** *alieniorem quod ortum Corintho, fastidiendum quod mercatore genitum, erubescendum quod etiam exule* **Demarato** *patre natum.*

Pro *exactu* Halmius *exactum* in textum recepit, Kempfius recte hanc lectionem repudiavit, quia praeterquam quod Valerio errorem tribueret (Tarquinius enim non exactus Tarquiniis Romam venerat), non appareret, cur Tarquinius idcirco *alienus* appellaretur. Perizonius proposuit *Etruscum,* quod Kempfio probatur, Foertschius *extraneum.* Mihi quidem omnino persuadere non possum, Valerium adiecisse cur Tarquinium *alienum* appellaverit, cum verba antecedentia satis hoc indicent: *fortuna in urbem nostram advexit* Tarquinium. Verba *quod* [illegible]
enim legendum esset) a sciolo addita sunt, qui videbat reliquis attributis omnib[illegible]
tam esse, cur Tarquinii nomini adiecta sint; idem sub finem [illegible]
ostentavit, addens *Demarati* nomen post *exule,* quod hoc loc[illegible]
non potest, cum paulo ante substantivo «*mercatore*» pater [illegible]

igitur v. *quod exactum* et *Demarati* locum totum ita exhibeo: *Tarquinium fortuna advexit alienum, alieniorem quod ortum Corintho, fastidiendum quod mercatore genitum, erubescendum, quod etiam exule patre natum.*

III 7. 8. **Cuius adm***iratione populus commotus Varium ab illa dementissima actione pertinaci clamore depulit.*

Ita Halmius verba recepit; recte iam Kempfius monuit relativum neque ad ipsum Scaurum referri posse, neque ad ea quae ab eo prolata sunt. Neque enim Scaurum ipsum populus admiratus est, sed fiduciam, qua illa verba fecerat. Itaque mihi et ipsi vocabulum videtur excidisse. Et initium respiciens, ubi legimus: *eadem M. Scauri fortuna, aeque senectus longa ac robusta, idem animus* et propter litterarum similitudinem v. *animi* ante *admiratione* (vel *am*miratione) excidisse opinor; facilius librarii lapsus explicatur, si scriptum erat **animi amm**iratione. Valerius genetivum *animi* saepissime substantivis affectuum, ut ita dicam, adiecit (conf. III 7, 7 qua quidem animi praestantia, IV 1, 11 quod animi temperamentum, IV 3, 4 qua tam circumspecta animi moderatione) praegnanti quodam sensu, qua de causa et nostro loco praegnantius mihi dictum videtur **animi ammiratione**, quam de quo Kempfius cogitavit *fiduciae*, vel quod alii voluerunt: *dicti*, *defensionis*.

III 8. 1. *Rumore autem de senatus mitiore sententia orto, ne debitam poenam scelerati effugerent, nocte admisso equo Teanum contendit, interfectisque qui ibi adservabantur e vestigio Cales* **transgressus** *perseverantiae suae opus* **exsecutus** (extrema *s* altera manu addita est) *et iam* qs.

Dett.: *executurus*, quod Halmio placuit, qui cum Torrenio post *Cales* addidit *est;* Kempfius *est* post *exsecutus* excidisse putat, quod libri Bernensis corrector addidit. Copula *est* sine dubio excidit, altera enim sententia verbo finito caret. Quod Halmius recepit *exsecuturus,* etsi facillime pro *exsecutus* legi potuit, tamen mihi displicet, quia eadem forma admodum exiguo spatio interiecto praecesserat in antecedenti sententia: *consilium exsecuturus.* Neque etiam cum Kempfio facere possum: Flaccus enim opus nondum exsecutus est, id quod ex iis quae sequuntur apparet, sed exsequi volebat, cum Cales transgressus esset. Itaque exsequendi verbum non in praeterito tempore positum esse debebat. Quae cum ita sint, Valerius scripsisse mihi videtur: transgressu*s* **est** — exsecutu**m**; facillime *est* post transgressus omitti potuit, praesertim cum scriberetur trangressust; part. *exsecutus* in supinum *exsecutum* mutandum est, ut futuri temporis notionem restituamus. Scribo igitur: *e vestigio Cales transgressus* **est** *perseverantiae suae opus exsecutu***m** qs.

IV.

IV 1, 8. *Nec quisquam dubitavit quin in eo scribendo irati* **noctis** *adversus Asiaticum verbis usurus esset.*

Halmius recepit Kempfii emendationem magis ingeniosam quam probabilem: *ira tinctis....* verbis. Similia adnotavit Kempfius ex Quintiliano IV 2, 117 *verba expressa* et, ut vult Zeno, *usu tincta* esse debebant. Num vero nostro loco haec dicendi ratio accommodata sit, investigandum erit. *tingere aliquid aliqua re* vernacule: einer Sache einen Anstrich von etwas geben, hoc sibi vult: superficiem oblinere, *verba* igitur *ira tincta* essent verba ita composita, ut auctoris iram interdum ostenderent. Ab hac vero sententia cur haec significatio aliena mihi esse videatur, apparebit, cum rem ipsam quae narratur accuratius inspexerimus. Inter omnes constabat Ti. Gracchum ex professo cum Africano et Asiatico Scipionibus inimicitias gerere. Oblata erat Tiberio Graccho occasio hostilem in Scipiones animum ostentandi; quare nemo dubitavit quin in decreto, quod de Asiatico componebat, vehementissimis in illum verbis usurus esset. Quae cum ita sint, non *ira tinctis,* sed **irati pectoris** verbis eum usum esse arbitror. Sescen-

ties Valerius *pectus* pro *animo* exhibet. Cf. III 2, 21 flagrantissimi pectoris invenis; I 1, 10; 6, 12; III 8; IV 1 ext. 6; VI 1, 3; 2, 11; IX 3 in; 11, 4.

IV **1, 14.** *Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Porcium nomen velut expers huiusce gloriae* **silentio praetereundum se negat fieri debere** *posterior Cato* qs.

Ita cod. Bernensis, ubi verba *fieri debere* punctis notata sunt; Kempfius alterum «*negat*» putat excidisse, itaque correxit: *praetereundum se negat. Negat fieri debere* qs. Negandi verbum rhetorice iteratum esse putat, ut infra VII 4, 2 v. *alterius,* quod idem Kempfius addidit, num recte, non hic inquirendum nobis est. Tertium vero huius iterationis rhetoricae quam appellat exemplum vir doctus, non invenitur; quare nimis audacem emendationem Kempfius attulisse mihi videtur. Halmius Pighio auctore, qui «*Porcium — silentione praetereundum? Negat fieri* qs.» restituit, *Porcium ne — praetereundum st? Negat* qs. correxit. De questione restituenda non cum Halmio dissentio, alia vero ratione eam equidem restituerim. Iam supra III 3, 2 vidimus Valerii verba a librario mirum in modum e loco suo in alterum transposita esse, simili emendatione huic quoque loco medendum est. Verba «*silentio praetereundum se negat*» verbis *fieri debere* postponenda sunt, itaque scribendum est: Tot familiis in uno genere laudis enumeratis, Porcium nomen velut expers huiusce gloriae *fieri debere? Silentio praetereundum se negat* posterior Cato et qs. Altera igitur sententia sensum habet interrogationis sive exclamationis in infinitivo positae.

IV 1 EXT. **8**: **Atque ut** *Theopompo quoque Spartanorum* **regi,** *moderationis testimonium reddamus, qui cum primus instituisset ut ephori Lacedaemone crearentur, ita* **furae** *regiae potestati oppositi quemadmodum Romae consulari imperio tribuni pl. sunt obiecti* qs.

Ante omnia de transitionis figura *atque ut* disputandum est. Similibus locis comparatis apparet, hac figura Valerium usum esse ad generalem sententiam introducendam, quam statim sequatur res quam narraturus est, conf. IV 1, 1 *atque ut* ab cunabulis summi honoris incipiam, P. Valerius etc., V 1, 2 *atque ut* ab universis patribus conscriptis ad singulos veniam, L. Cornelius etc. VII 7, 1 *atque ut* ea ordine quo proposui exsequar, militantis etc. Similium figurarum: *et ut, sed ut, verum ut,* exempla, quae omnia nostram de his figuris sententiam probant, Kempfius loco citato attulit. Sunt formulae, ut ita dicam, transitionis, non minus usitatae quam Homericum illud τὸν δ' ἀπαμειβόμενος etc. Quae cum ita sint, etiam nostro loco generalis sententia restituenda est, si quidem sententia incipit per *atque ut* (Halmius correxit «*aequum est* ut»). Quid scripserit Valerius, pro certo dici non poterit, quae vero generalis illa sententia fuerit, non difficile est inventu: Valerius cum in antecedentibus moderationis exempla ab hominibus «minorum gentium», ut ita dicam, vocaverit, iam de duorum regum moderatione locuturus est; incipit igitur, ut opinor: *atque ut regiae quoque moderationis testimonium reddamus,* pergere debebat: *Theopompus Spartanorum rex* (ita cod. Wolfenbuttelanus exhibet), spurium illud pronomen relativum *qui* eiciendum est.

Vocabulum *furae* iam in libro Bernensi secunda manu mutatum erat in *futurae*, quod vocabulum Halmius eiecit, parum curiosus de ratione, qua in textum venerit; Kempfius contra recte mihi *futurae* restituisse videtur, saepissime enim eodem vel simili verborum tenore participium *futurus* idem atque *posterior* significat: conf. I 5, 1 de domicilio *futuri* summi imperii I 6, 4 quae victoria *futurae* eius amplissimae potentiae gradus et fundamentum extitit. III 2, 6 neque erat in eo exercitu quisquam aut nobilitate aut animi indole aut *futuris* actis, cuius magis saluti parci et consuli deberet. IV 4, 11: in hac ille pecunia *futurus* senatus princeps nutritus est spiritus. V 3 ext. 3 *futurus* ipse suae aetatis dux. IX 4, ext. 1 *futurum* necis suae praemium. Ita nostro loco *futura potestas* est ea quam Theopompus omnesque reliqui reges post ephoros institutos habebant. Itaque nisi hac licentiore quodammodo emendatione huic loco mederi me non posse fateor: *Atque ut* **regiae** *quoque moderationis testimonium reddamus,* **Theopompus, Spartanorum rex** *cum primus instituisset, ut ephori Lacedaemone crearentur, ita* **futurae** *potestati oppositi* qs.

IV 3, 6. *Ergo domus eius quemadmodum aere et argento et mancipiis Samnitium vacua, ita gloria* **ex is** *parta referta fuit. Consentanea* **repudiatis donis** *Fabricii vota exstiterunt.*

Ex iis: correctum est in cod. Bernensi, quod Kempfius in *ex his* mutavit, Halmius *iis* recepit. Mihi quidem dubium non est, quin post *ex iis* (sive *ex his*) in archetypo lacuna extiterit. Kempfius desiderat participium post *his:* contemptis vel spretis, vel tale quid; cum vero statim sequantur verba: *consentanea repudiatis donis*, tam exiguo spatio intermisso eadem fere verba non poterant repeti, ut taceam de insolentiore participii forma per se positi, cui simile exemplum vix unum tantum apud Valerium inveniatur V 3 ext. 3 *post trecenta millia devicta* (conf. Pars I, p. 26 l. 3); *ex iis*, quod Halmius recepit cum Foertschio, referendum esset ad ea quae Samnites dono attulerant. Neque tamen dici potest, Fabricium his donis sibi gloriam peperisse, sed repudiatis illis donis. Iam saepius Valerii verba a suo loco in alium transposita esse vidimus, ut non vereamur, ne in temeritatis suspicionem incidamus, si ita mutaverimus: pro *iis* ex sequentibus *repudiatis donis* insero, *iis* in sequentis sententiae initio colloco, ut legatur: *ita gloria* **ex repudiatis donis** *parta referta fuit.* **Iis** *consentanea Fabricii vota exstiterunt.*

IV 3, 9. *Data sunt enim legatis quae in aerarium reposuerant non solum patrum conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu;* + **legata** *quaestores unicuique prompta distribuerunt.*

Libri omnes ante *legata* lacunam habent, quam varie expleverunt. Kempfius recte mihi dicere videtur « voc. *legata* glossam sapere, adscriptum ut explicaretur *prompta*, et ut significarentur regis munera, quae illis ineptus homo librarius a rege legata esse putaverit ». *prompta* in Bernensi in pro*mpte* mutatum est. Foertschii: *lege data* propterea ferri non potest, quia antea iam dictum est, non solum patrum conscriptorum decreto, sed etiam populi permissu legatis data esse quae reposuerant. Spurium igitur illud *legata* eiciendum est, pro quo restituendum esse mihi videtur pronomen: *suum*, facillime omissum propter vocabulum, quod antecedit: permiss*u*, si in antiquissimo codice scriptum erat permissu *sū;* prompt*a* cum Bernensi cod. librario in adv. prompt*e* mutandum est, ita ut totus locus ita exhibeatur: **suum** *quaestores* **prompte** *unicuique distribuerunt.*

IV 4, 2: *Cuius ut superstitis nullum fuit, quod in censum deferretur, ita extincti* **hodieque** *amplissimum est patrimonium Romana concordia.*

Plane mihi videtur inutilis Halmii emendatio, qui *aes* inseruit post *superstitis;* facillime enim ex sequentibus suppletur substantivum, quod desideratur, unde pendeat *superstitis*, dico *patrimonium.* Qua de causa optime Kempfius haec verba intacta recepit. Quid? quod Halmius opinatur scribendum esse *hodiequoque* pro *hodieque*, unum Valerii locum II 2, 6 conferas velim, ubi idem voc. *hodieque* eodem sensu legitur: qui **hodieque** senaculum appellatur (vid. Pars I, pag. 23).

IV 4, 5. *Nec fuit his* **rubor** *eburneo scipione deposito agrestem stivam aratri repetere.*

Ita libri tantum non omnes editionesque Kempfii et Halmii exhibent. Kempfius exempla in examen vocavit, quibus demonstraret, nominativum *rubor* recte se habere: Tac. Germ. 13: Nec rubor inter comites aspici; Ov. A. a. III 167. Nec rubor est emisse palam; Ov. Met. XIV, 18: pudor est promissa referre. Potuit addere ex Valerio ipso II 9, 1, si quis pudor est. Haec vero exempla omnia ad nostrum locum non quadrant; habemus enim dativum personae *his* cum copula coniunctum, qui in illis exemplis omnibus deest. Utique Valerius in exemplis nostro loco similibus si dativus personae invenitur, etiam dativum substantivi, qui affectum quoddam animi significat, exhibuit, conf. IV 6 praef.: opera percurrens, ardua imitatu, ceterum cognosci utilia quia excellentissima *animadvertenti* ne mediocria quidem praestare *rubori* oportet *esse.* II 10, 6, *nec fuit eis timori;* IX 5 ext. 1, *nec fuit ei pudori.* II 7, 7 *cuique verecundiae* non fuerat. II 5, 5 nam maximis *viris* prandere et cenare in propatulo ver*ecundiae* non erat. Itaque pro certo habeo etiam nostro loco Valerium scripsisse: *Nec fuit his rubo***ri.**

IV 5. 3. **Nec** *maximum esse verecundiae pretium!*

Kempfius exclamationis virgulam addidit. De singulis verbis libri consentiunt. Bernensis pro «*maximum esse*» correxit *minimum est*. Equidem non mihi persuadere possum tam abruptam sententiam accusativo cum infinitivo expressam esse; obstat ante omnia particula negativa *nec;* Kempfius interpretatur: und sollte die Belohnung der Bescheidenheit nicht sehr groß sein! Quodsi haec verba in Latinum sermonem vertenda essent, valde dubito num ita dici possit. Si sententia eadem figura expressa antecederet, particulae *nec* locus esset, ut in Verg. Aen. I, 37 *Mene incepto desistere victam, Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?* Halmius quaedam verba ante *nec* excidisse iudicat, vel *nec* corruptum esse ex *neges*. Mihi et ipsi corruptum videtur *nec*, desidero vocabulum, quod sententiam *maximam esse vercundiae praemium* cum antecedentibus arctius coniungat. Fortasse *nec* relictum est ex v. *bene sciens*. Cum archetypus compluribus locis tam misere mutilatus esset, fieri potuisse non incredibile est, ut particula *si* quae in sequentem sententiam post *sed* inrepsit, ubi omni sensu caret, ex erasis litteris verborum *bene sciens* relinqueretur. Locum igitur ita emendaverim: ut scilicet praeturam melius Africam memoriae concederet quam sibi vindicaret, **bene sciens** maximum esse verecundiae praemium.

IV 6 EXT. 3. *Minyae, quorum origo ex inclyto sociorum Iasonis numero Lemniorum in insula concepta per aliquot saeculorum vices stabili in sede manserat, a* **Pelasgicis** *expulsi* **ramis alienae opis indigentes excelsa** *Taygetorum montium iuga supplices occupaverunt.*

Pro *ramis* Bernensis exhibet in rasura: *armis* (quod Halmius in textum recepit), *Pelasgicis* iam in Wolfenbuttelano correctum est in *Pelasgis;* illa forma omnino ferri non potest, quia adiectivum non Pelasgi*cus*, sed Pelas*gus* aut Pelas*gius* erat, excepto uno apud Plinium loco IV hist. nat. 7, 14, ubi tamen optimi libri Graecam formam Pelasgi*con* Argos tradunt. Recte mihi Halmius Pelasgis restituisse videtur; quod idem vir doctus *armis* pro *ramis* ex Bernensi codice recepit, non verisimile mihi est, *armis* in *ramis* a librario corruptum esse; accedit quod, ut iam recte monuit Kempfius, nimis languet ultima vox in verbis: a Pelasgis expulsi armis, cum per se intelligatur, armis Minyas expulsos esse. A corrupto igitur voc. *ramis* emendatio proficiscatur oportet. Hanc de Minyis fabulam Valerius ex Herod. IV 145 et 146 excerpsisse videtur, unde hanc praecipue sententiam iisdem fere verbis ennaravit: ὑπὸ τούτων (τῶν Πελασγῶν) ἐξελθόντες ἐκ Λήμνου οἴχοντο πλώοντες ἐς Λακεδαίμονα, ἱζόμενοι δὲ ἐν τῷ Τηυγέτῳ πῦρ ἀνέκαιον. Kempfius suspicatus est, Valerium illud πῦρ ἀνέκαιον in sermonem suum vertisse et scripsisse: ramis incensis vel collectis atque incensis. Minime, nulla enim Valerio causa erat cur de ramis incensis loqueretur. Herodotus narrat, Minyas ligna accendisse, Lacedaemonios igne perspecto nuntium misisse, cui Minyas dixisse se esse Minyas eiusdem atque illos originis; Lacedaemonios iterum misisse nuntium, qui quid vellent et cur ligna accendissent interrogaret; tum Minyae supplicaverunt, ut sibi partem aliquam terrae tribuerent. Pro tota illa narratione Valerius adiectivum *supplices* posuit; verba igitur *ramis incensis* sententiae nostrae tenorem interrumperent, quia rem quae nullius sane huic Valerianae narrationi esset momenti adderent. Herodoti vero verba quae supra diximus Valerio ob oculos versata esse, accuratius respiciens desidero illud: οἴχοντο πλώοντες ἐς Λακεδαίμονα. Itaque mihi verba *ramis alienae* orta videntur ex: **remis advenae,** h. e. ii qui remis sive navibus Lacedaemonem advecti sunt; Wolfenbuttelanus exhibet *remis*, quamque facile auenae (= aduenae) pro alienae legi potuerit, nemo non videt. Verba *opis indigentes* ab eo qui *alienae* legebat adiecta sunt, quae mihi imprimis ea de causa supervacua videntur, quia statim sequitur *supplices*, quo adiectivo satis indicatur Minyas fuisse opis indigentes. Quae cum ita sint, totum locum ita restituerim: *a Pelas***gis** *expulsi,* **remis advenae** *excelsa Taygetorum montium iuga supplices occupaverunt.*

IV 7, 7. *Vestros enim constantes animos, vestra strenua ministeria, vestram inexpugnabilem taciturnitatem proque dignitate et salute amicorum perpetuam* **excubationem testationem benevolentiam** *et rursus harum rerum uberrimos fructus* qs.

Bernensis codex corr. testatiorem, quam emendationem recte repudiat Kempfius, cuius tamen: *testatam benevolentiam* mihi non magis placet: adiectivum enim plane inutile est, ne dicam sensu caret. Hellerus «testa[tamque lauda]tione benevolentiam» coniecit, monens de laudatione quam Augustus in defuncti Agrippae honorem habuit; cuius emendationis insolentiam vir ille doctus ipse intellegens adiecit: «non obstare si, quae in his duobus amicorum paribus praedicaverit Valerius, de altero tantum vere dici potuerint.» Haec vero ratiocinatio sanae mentis esse prorsus non potest. Halmius (Lipsio auctore) correxit: *testationem benevolentiae*, quod esset contra Latini sermonis normam; *testatio* enim forensis est terminus, cui non generalis significatio, quam habet subst. *testimonium*, inest. Mihi non emendatione ad hunc locum sanandum opus esse videtur, sed iusta interpunctione: ita enim scribendum est: *excubationem*, *testationem*, *benevolentiam* (figura asyndeti, quod vocant grammatici); postremo substantivo *benevolentiam* generalis, quae duobus antecedentibus inerat, notio repetitur.

V.

V: exordium: *Quarum prima inopia, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna praestatur, cumque nescias quam maxime probes, eius tamen commendatio praecurrere videtur, cui* **nomen** *ex ipso* **numine** *quaesitum est.*

Quae verba nimis incerte a Valerio expressa sunt, ut alius aliter ea interpretari conatus sit. In antecedentibus de liberalitate, humanitate, clementia loquitur: Kempfius liberalitatem, de qua praecedenti capite actum erat, eam esse virtutem censet cuius commendatio reliquis praecurrere videtur. Vix persuadere mihi possum eo temeritatis progressum esse Valerium, ut hanc nobis derivationem commendet, Liberi nomen a liberalitate ortum esse. Omnino autem verba: «eius tamen commendatio praecurrere videtur», ad caput antecedens referri non oportet. Ante omnia vero, quomodo dici potuerit, unam ex illis virtutibus nomen ex numine quaesivisse non intellego; de *liberalitate* iam disputavimus. Quidam etiam de *humanitate* cogitaverunt et pro *numine* legi iusserunt *homine*, quae emendatio non minus placet, cum non appareat, qualis humanitatis commendatio ex talis nominis origine ortum sit. Restat, ut de *clementia* cogitemus. Est quidem Clementia dea (conf. Plin. 2, 7 (5), Stat. Th. 12, 481, Claudian. laud. Stil. 2, 6 sqq.), nemo tamen clementiae nomen a dea ortum esse putaverit: immo vero Clementiae deae nomen a clementiae virtute, i. e. a clementia. Quae cum ita sint, non dubito quin scripserit Valerius: «cui numen et ipso nomine quaesitum est».

V 1 EXT. 4. *Nam cum diris auspiciis Argivorum invasisset urbem, abscisumque eius caput Alcyoneus, Antigoni regis filius, ad patrem propugnatorem* **laborans laeterat** *laetus velut aliquod felicissimum victoriae opus attulisset* qs.

Ita cod. Bernensis, unde Foertschius ingeniosius quam verius coniecit: — *propugnatorum labor sane taeter erat* —, quam emendationem Halmius in textum recepit (mutata copula *erat* in *fuerat*), ita ut tota haec sententia in parenthesi a Valerio addita esse videatur. Hoc vero loco nescio quem habeant sensum haec verba interposita, quae fortasse post attulisset addi potuissent. Maxime autem me offendit adiectivum *taeter* hoc verborum nexu. Quid enim est *labor taeter propugnatorum?* Perspectis locis ubi hoc adiectivum a Valerio positum est: I 1, 21 taeterrimo genere *morbi*, 6, 5 *odore* taetro, 7, 7 taetro *visu*, III 2, 15 ea nocte, quam dies taeterrimi *facti* secutus est, V 9, 3 in *filio* taetriore, 6 ext. 2 urbem triginta tyrannorum taeterrima *dominatione* liberare, — III 8, 3 taeterrimis *actis* exquisitum supplicium — facile concedas laborem propugnatorum taetrum appellari non posse: taeter est is, cuius adspectus nos taedet, ut morbus, filius parricida, factum sceleratum, dominatio crudelis, in propugnatorum labore

nihil equidem taetri invenire possum. Quod Kempfius proponit: propugnatorem laborantis (sc. Argivorum urbis), quod desiderat genetivum quo definiatur accuratius illud substantivum, non intellego quomodo quis *laborantis*, ita absolute positum, ad Argivorum urbem referre possit. *Laeterat* mihi ex dittographia, quam vocant, in textum venisse videtur, cum statim sequatur *laetus*, quo vocabulo eiecto **laborans** in **salutans** mutandum est, ita ut totum locum sic emendaverim: ad patrem, *propugnatorem* **salutans**, laetus etqs. De verbo salutandi conf. V 2, 4 *patronum salutari* voluit, 5, 3 ut *imperator salutaretur*, VI 9, 12 *dives* ab occurrentibus *salutabatur*.

V 2, 1. *Atque ut a publicis actis ordiar, Marcium patriae* **conantem** *admotoque portis urbis ingenti Volscorum exercitu funus ac tenebras Romano imperio minantem Veturia mater et Volumnia uxor nefarium opus exsequi precibus suis passae non sunt.*

Non facio eum Kempfio et Halmio qui verba aliquot inter *patriae* et *conantem* excidisse putant; *patriae conantem* mutandum esse videtur in patria **exulantem**. Etiam infra 4, 1 Valerius Marcium exulem appellat: — populus qui reo non pepercerat, *exuli* coactus est supplicare.

V, 2, 6. *Geminatum ea decus imperatoris, a quo simul et devicti hostes et conservati cives spectaculum patriae praebuerunt.*

Haec Kappii emendatio spuriorum libri Bernensi verborum: *geminûrea* (ûr ea in rasura) a recentioribus editoribus in textum recepta est: in pronomine *eâ* subaudiretur *curâ*, quae tamen; ut bene vidit Kempfius, ad solum colligendi officium spectans, non potuit per se dici geminasse imperatoris decus. Mihi scribendum esse videtur pro illis corruptis verbis *geminûr ea: geminum victoriae;* copula *erat* supplendum est, quae sescenties a Valerio omittitur. Itaque equidem restituerim ita: **Geminum victoriae** *decus imperatoris, a quo simul* qs.

V, 2, 10. *Quorum laudem* **adiecta lege** *condicio auget magis quam extenuat, quoniam quidem quaestum contempserunt nulli alii rei quam quaestui viventes.*

Apta sententia carent verba *adiecta lege condicio.* Bene fecisse mihi videntur qui *ab*iecta pro *ad*iecta scripserunt, abiecta enim condicio verbis quae sequuntur *quoniam quidem* qs. circumscribitur, et eis quae in sequenti paragrapho legimus *tam contemptum gregem;* accedit quod passim *ab*iectus et *ad*iectus in libris scriptis commutantur, velut V 2 ext. 1; VI 9 in. Quid pro *lege* restituendum sit, perspectum mihi non est. Erant qui putarent retinendam esse vocem corruptam: at non lege, sed moribus Romanorum condicio libitinariorum abiecta erat. Hellerus coniecit *degendi,* quod displicet, quia non intellegitur, quo modo *lege* ortum sit ex *degendi.* Relictum esse mihi videtur ex substantivo *collegii* sive *conlegi,* (c̄legi) littera c̄ omissa *lege.* Similiter Valerius collegium tibicinum II 5, 4, collegium saliorum I 1, 9, conlegium poetarum III 7, 11, collegium tribunorum IV 1, 8 et VI 3, 4. Itaque scriptoris verba in hunc modum restituenda putaverim: *quorum laudem* **abiecta conlegi** *condicio* qs.

V, 2, 10 fin. *Sed dum honesti etiam ab infimis* **estis** *editi memoria non intercidat, licet separatum locum obtineant, ut nec his adiecti nec illis praelati videantur.*

Recte corruptum illud *estis* ab editore novissimo uncis seclusum est, mihi hae duae syllabae ex adiectivo *inhonestis,* quod margini vel super lineam adscriptum erat, ut v. *infimis* explicaretur relictae videntur. «Saepenumero enim ita interlineares emendationes in describendo cum ipsis Valerii verbis conexae singularium prorsus mendorum causam praebuerunt.»

V, 3 ext. 3. *Themistocles eorum, qui ingratam patriam experti sunt, celeberrimum exemplum, cum illam incolumem, claram, opulentam, principem Graeciae reddidisset, eo usque sensit inimicam, ut ad* **Xerxis** *quem paulo ante destruxerat, non debitam sibi misericordiam perfugere necesse haberet.*

Male Halmius *Xerxis* nomen in *Artaxersis* ex Bernensis scriptura *ar*xerxis (pro ad xerxis) correxit. Virum doctissimum plane effugit locus VIII 7, ext. 15, ubi eiusdem rei eisdem fere

verbis mentio fit: ad Xerxem quem paulo ante devicerat, confugere coactus est. Illic nil mutavit Halmius. Accedit quod Paridis exemplum nostro quoque loco Xerxis nomen servavit. Nihil ad rem pertinet quod Thucydides, quem Cornelius Nepos secutus est, rem ipsam aliter narrat, cum plerique rerum scriptores Themistoclem Xerxe regnante exilio multatum in Asiam se contulisse narrent.

V 3 EXT. 3. *Phocion vero, his dotibus quae ad* **pariendum** *hominem potentissimae iudicantur, clementia et liberalitate instructissimus, tantum non in eculeum ab Atheniensibus inpositus est: certe post obitum nullam Atticae regionis, quae ossibus eius iniceretur, glebulam invenit, iussus extra fines proici, intra quos optimus civis vixerat.*

Verba *ad hominem pariendum* cum per se ferri non possent, alii criticorum vocabulum excidisse arbitrati sunt, alii coniecturis, quas enumerare longum est, locum tentarunt. Halmius Torrenii coniecturam: *ad pariendum hominum amorem* in textum recepit. Simpliciore emendatione hic locus mihi sanari posse videtur: *pariendum* corruptum esse existimo ex **provendum** vel **provehendum**, cuius verbi significatio eadem est atque IV 6, 1, usque ad septem miracula *provecti,* Plin. Paneg. 46, 7, boni *provehuntur* (vernacule: kommen vorwärts), Plin. epp. 8, 12, studiosos amat, fovet, *provehit.* Quare equidem scripserim: — *quae ad* **provehendum** *hominem potentissimae iudicantur* qs.

V 3 ext. 3. *Harum rerum auctores ubi vixerunt? ubi iacent? responde! nempe Thesea parvulo in scopulo sepeliri et Miltiadem in carcere mori et Cimona paternas induere catenas et Themistoclea victorem victi hostis genua conplecti Solonemque cum Aristide et Phocione penates suos ingrata fugere coegisti, cum interim cineribus nostris foede ac miserabiliter dispersis Oedipodis* **ossa**, *caede patris, nuptiis matris contaminata inter ipsum Arium pagum, divini atque humani certaminis venerabile domicilium et* **excelsis praesidiis** *Minervae arcem honore arae decora***tos sacrosanctiores** colis.

Locus corruptissimus nondum emendatione plane sanatus est; palmarem Mitalleri coniecturam *excelsam praesidis Minervae arcem* Halmius recte mihi recepisse videtur. Offendunt ante omnia verba *decoratos sacrosanctiores,* Wolfenbuttelanus: *decorata sacrosanctiore* habet. Quia antecedit *ossa,* ad quod attributa illa referantur oportet, neutrius generis forma dec*orata sacrosanctiora* postulabatur, quam dett. exhibent. Comparativi vero forma, ubi nulla comparatio est, ferri non potest. Hellerus *ossa* post *Oedipodis* eiecit et ex antecedentibus *cineres* supplendum esse iudicat, contamin*atos* pro contamina*ta* dedit, *decoratos* retinuit et *sacro|sanctiores* scripsit. Cur vero cineres sanctio*res* dicantur *quam ips*um sacrum, non intellego, ut taceam de nimia ista verborum emendationis temeritate. Halmius Reifferscheidi coniecturam: *decorata ut ossa sacrosancti herois colis* in textum recepit, ingeniosam quidem, sed quae nimis librorum lectionem turbat. Non liquet quomodo masculini forma decora*tos* in textum venerit. Nostra igitur emendatio ab ipsis verbis *decoratos sacrosanctiores* initium capiat. Terminatio adiectivi decora*tos* oculorum lapsu librarii, qui scribere debebat decora*ta ossa*, orta esse videtur, sequebatur substantivum «sanctione», quod primum in «sa(cro)sanctione» mutatum est, unde oriebatur «sacrosanctiores» (Wolfenb. sacrosanctiore). Mihi autem *sanctione aliquid colere* eodem sensu esse dictum videtur atque: *sancta lege data colere.* Itaque prius substantivum *ossa* post v. *Oedipodis* eicio, deinde «contamina*ti*» scribendum est (multo praegnantius dicitur Oedipoda caede patris etqs. contaminatum fuisse quam Oedipodis ossa). Totum igitur locum ita restituo: *cum interim* **Oedipodis,** *caede patris, nuptiis matris contaminati, inter — arcem honore arae decor***ata ossa sanctione** *colis.*

V, 3 EXT. 3. *Tacent mutae illorum umbrae, fati necessitate constrictae: at immemores beneficiorum Athenae, reprehensione lingua sermone licenti soluta non tacet.*

Recte Kempfius exposuit *reprehensione* ferri non posse, qua re Halmius accusativum restituit, ita ut *lingua* subiectum sit, et verbum tacendi, quod paullo ante intransitivum habebat

sensum, statim transitivum sumat, unde pendeat accusativus reprehensionem; cum vero inter se oppositae sint hae duae sententiae, tacendi verbum in utraque intransitivum habeat sensum necesse est. Itaque mihi *reprehensio* (nominativus subiecti) a Valerio videtur esse scriptum ut tota sententia ita exaretur: *at, immemores Athenae, reprehensio linguâ sermone licenti solutâ* (= cum lingua sermone licenti soluta sit) *non tacet.*

V, 4, 3. *Nactus occasionem opportunam proposito suo iuvenis gladium, quem* **tectum adtulerat,** *destrinxit tribunumque minis ac terrore conpulsum iurare coegit a patris eius accusatione recessurum, eoque effectum est ne Torquatus causam diceret.*

Desidero vocabulum quod aut pendeat de participio *tectum* aut iungatur cum verbo *attulerat*, ut legitur VI 1, 1: quod *veste* tectum attulerat, et V 9, 1 quem occultum *secum* attulerat. Vix ausim contendere quid Valerius scripserit. Sed fortasse quia Bernensis prima manu *tectus* exhibet, vox quae excidit, potius *secum* fuerit, si verba in archetypo ita exarata erant tectū sec.

V, 6, 3. *Cuius testandae gratia capitis effigies aereae portae, qua excesserat, inclusa est* **dictaque Rauduscnlana, olim aera raudera dicebantur.**

aereae recte a Kempfio in *aerea* mutatum est, quia qua materia facta fuerit effigies maioris momenti est, quam qua fuerit porta; verba *olim* etqs. quae omni nexu cum antecedentibus carent, Kempfius quia ita ferri non poterant, coniunctione *nam* adnectenda esse putavit, quam particulam Halmius in textum recepit. Verum subit alterum dubium; ut praedicatum *dictaque R.* ad idem subiectum referatur atque *inclusa est*, ars grammatica flagitat; quid vero hoc sibi vult, effigiem aeream dictam esse Rauduscnlanam h. e. aeream? hoc sensu caret. Scimus ex Varrone de lingua Lat. V, 34 p. 163 Speng., portam fuisse Romae Rauduscnlanam quae dicebatur; de hac porta is mihi cogitasse videtur, qui verba *dictaque R.* etqs. addidit. Equidem pro certo habeo a librario primum verba *dictaque Rauduscnlana* addita esse, ut suam rerum antiquarum scientiam ostentaret; alter ut vocem *Rauduscnlana* explicaret, adscripsit *olim aera raudera dicebantur:* quae omnia quamquam ad rem quae narratur non pertinebant, ut saepius accidit (conf. quae adnotavi ad V, 2, 10 fin.), in textum inrepserunt. Quibus expositis facere non possum, quin haec additamenta plane deleam, ut sententia ita exaretur: *cuius testandae gratia capitis effigies aerea portae qua excesserat, inclusa est.*

VI.

VI, 9, 12. *Itaque* **qui** *amara suggillatione non caruit, cum egens ambularet, dives ab occurrentibus salutabatur.*

Pronomen *qui*, quod suo loco non esse nemo non videt, Halmius uncis seclusit ante *itaque* corruptelae signum † addens. Foertschius *sui* pro *qui* scripsit, singularum tamen sententiarum nexum desidero. Mihi vero tota comprehensio bene se habere videtur pronominis loco mutato, quod ante *cum* inserenda est, ut legatur: *itaque amara suggillatione non caruit* **qui** (= is qui) *cum egens ambularet, dives ab occurrentibus salutabatur.*

VII.

VII, 2, ext. 10. *A caritate istud* **pater avus o** *Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam victor.*

Nullam adhuc probabilem video medelam huic loco inlatam esse. Kempfius de emendatione desperat, Halmius Foertschii coniecturam: *qua caritate istud pater nato suo Philippus* in notis transcripsit. Quonam vir ille doctus sensu verba intellexerit non liquet. Mihi totius loci naturam [illegible] Valerius hoc dixisse videtur illis verbis: Quomodo Philippus audere potuit exspectare se

caritate fideles sibi redditurum esse Macedones, cum Graeciam sibi non caritate, non bellicis victoriis, sed pecunia coniunxisset aut in dicionem sibi redegisset! Quae cum ita sint, haec ex vitiosis verbis enucleari mihi videor: *a caritate istud* **impetrare ausus est** *Philippus maiore ex parte mercator Graeciae quam victor!* hoc quidem sensu: num a caritate istud (ut sibi fideles essent Macedones) impetrare potuit audere Philippus, cum ipse maiore ex parte mercator Graeciae esset quam victor?

VII, 7, 1. *Florem iuventae pro republica absumpserat, maximos labores ac plurima pericula toleraverat, adverso corpore exceptas ostendebat cicatrices et postulab***at**, **ut** *avitos eius lares otiosa ipsi urbi onera possiderent.*

Sententia, quae pendet a verbo *postulabat*, caret negatione, sine qua intellegi non potest; qua addita totus locus bene se habet: *postulab***at ut ne**, conf. VIII, 14, 3 quo effectum est *ut ne* quis dubitaret, quin referret potius gratiam quam incoharet: *ut ne* pro simplici *ne* hisce sententiis positum est. Non opus est Halmii coniectura, qui vir doctus pos*tulaba***nt** scripsit, quod ferri non potest propter ea quae antecedunt: absumps*erat*, tolerav*erat*, ostende*bat*, quibus verbis idem subiectum suppletur atque verbo *postulabat*. Sine dubio v. *postulabant* suum subiectum desideraret. Quodsi quem pronomen demonstrativum *eius* offendat, conferat velim quae in priore huius libelli parte p. 10, l. 1 adnotata est de eo pronomine cum reflexivo mutato.

VIII.

VIII, 6, 3. *Quam ob causam a M. Popilio Maecenate accusatus primus sua lege cecidit ac docuit nihil* **aliud** *praecipi debere nisi quod prius quisque sibi imperaverit.*

Offendit pron. **aliud**, pro quo **aliis** scribendum esse videtur: opponuntur enim «quae quis *sibi* imperavit et quae *aliis*», qua de causa usitatum quoque pronominum ordinem sibi quisque mutavit Valerius (conf. Pars I, p. 10).

VIII, 8, 2. *Ut enim in rebus seriis Scaevolam, ita* **in scelus** (*b: scęvis*) **lusibus** *hominem agebat.*

Ita Bernensis tradidit verba; vocabulum vitiosum varie a librariis mutatum est: a correctore cod. Bernensis (b) in *scęvis*, unde Torrenius *scenicis* coniecit; quid vero lusus scenici sibi velint me intellegere nego. Halmius auctore Vahlenio vocem illam mendosam omisit. Mihi potius *lusibus* eiciendum proque *scelus* (*scevis*) videtur esse scribendum *serenis*. Substantivum *lusibus* a sciolo quodam immissum esse videtur, qui scaenis vel scenicis vel tale quid emendare conabatur. Quo substantivo eiecto membrorum oppositio optime restituta est: opponuntur enim *rebus seriis res serenae*, ut taceam de «vocis iactu» (seriis et serenis conf. P. I, p. 6), cuius Valerius hic atque illic studiosus est. De *sereni* adiectivi significatione (= iocosus, laetus) conf. Lucr. 2, 1092 vita serena, Ov. Trist. 1, 9, 40 facta serena, Sil. 15, 53 horae serenae, 8, 546 res serenae. Scribo igitur: *ut enim in rebus* **seriis** *Scaevolam, ita in* **serenis** *hominem agebat.*

VIII, 15 in. *Candidis autem animis voluptatem praebuerint in conspicuo posita quae cuique magnifica merito contigerint, quia* **aeque praemiorum virtutes** *atque* **honorum** *contemplatio iudicanda est, ipsa natura nobis alacritatem sumministrante, cum honorem industrie appeti et exsolvi grate videmus.*

